VNA

FACVLTATES
MAGISTRATVS CVRATORVM
Viarum, Aedificiorumquè Publicorum, & priuatorum Almę Vrbis.

Aedilium Curulium, antiquitus nuncupati.

Et olim à Martino PP. V. iuxtà antiquam inſtitutionem reſtituti, ac à Succeſſoribus confirmati.

Per M. Antonium Bardum Senen. I.V.D. collectæ, & in Paragraphos diuiſæ.

Cum eiuſdem Magiſtratus, ſuorumquè Officialium breui Iurisdictionis Deſcriptione, in Cap. diſtincta.

CVM PRIVILEGIO PII IIII. Pont. Max. ad decemnium.

ROMÆ. APVD ANT. BLADVM IMPRESSOREM CAMERALEM. M.D.LXV

EX . . . PLVRIB



PONT. OPT. MAX.

Magiſtratus Aedilium Curul. Cura-
torumquè Viarum Vrbis
Reſtitutor.

ILLVSTRISS. ET ECCELLENTISS.
DOMINO D. ET PATRONO
MEO COLENDISSIMO,

D. M. ANTONIO COLVMNAE, ETC.

M. ANTONIVS BARDVS
SENENSIS.
Fœlicitatem.

CVM Antiquiſsimo ROMANORVM *tempore ſinè certa lege, ſinè certo Iure* ROM. *Ciuitas uiuere incepiſſet, at manu Principis, & Regis omnia gubernarentur, auctaque indè Ciuitate ad Magiſtratuum diſtinctionem, diuerſis temporibus deuenire placuit; inter quos tunc, ille perneceſſarius* Aedilium Curulium Magiſtratus *fuit aggregatus.* Sed *cum idem (etiam tempore* Max. Pontificum*) receſsiſſet ab uſu, uel inordinatè eſſet diſtributus,* MARTINVS Fœl. record. *huius* Nominis Papa Quintus, *Doctrina, omniquè* Virtute, *ac* Bonitate *prǽditus, ex tua* Antiquiſsima Nobiliſsima*què* Columnenſium Familia *oriundus,* Almam Vrbem *decorare, & augere cupiens, (ubi* CHRISTVS *Sedem*

Apo-

Apoſtolicam, ad quam totus Fidelis Orbis confluit, uoluit col locari) eundem Magiſtratum iuxtà uetuſtam inſtitutionem renouauit, atquè reſtituit; licèt ſub altero Magiſtrorum, ſeu Curatorum Viarum, & ædificiorum Publicorum, & priua torum Vrbis nomine, denominetur. Cuius quidem Dignitas, quàm honorificè, ex ſe, notiſsima eſt: Sub umbra enim illius firmæ, immobiliſquè Columnæ reintegratus extitit, Iurequè meritò perpetuò duraturus. Et cum uſquè in hãc diem eidem Magiſtratui, inuentas, ac recollectas Facultates, primò ab eodem Martino, deindè à Succeſſoribus traditas, breuemquè hanc illius Magiſtratus Iuriſdictionis Deſcriptionem, & illorum qui circà eum ſunt, edere cogitauerim, ſimul id præuidi, ut ſub Tuo Fœliciſſimo Nomine præcipuè à me exire deberent, ut ſi olim à COLVMNA *Magiſtratus prouenit, ad Columnam quoque, & ad te qui Primus es, decuſquè, & ornamentum Columnenſis Familiæ, dirigantur. Accipias igitur hoc, quale muneris eſt, hylari, benignoquè animo, cum etiam exiguum, ſoleat Magnanimis dicari. Vale magne Protector, in detractionibuſquè Præſidium. Romæ, Septima Ianuarij.* M. D. LXV.

MOTV Proprio &c. Cum ſicut accepimus,
Dilectus Filius Marcus Antonius Bardus Senen.
I. V. D. In Alma Vrbe noſtra cõmorans, qui
per multos Annos Aſſeſſor, ſeu Auditor noſtro-
rum Curatorũ, ſeu Magiſtrorũ Viarũ, & ædifi
ciorũ Vrbis continuè extiterit, ac ad præſens magno tàm illius Ma-
giſtratus q; aliorũ amore, et gratia, honorifice etiam exercet; Qua-
re Tractatum Iuris Protomiſeos, ſiue Congrui, ad Interpretationẽ
Literarũ Apoſtolic. Prædeceſſorũ noſtrorũ, ſuper ædificiis conſtruẽ
dis, ad decorem Vrbis confecerit; ubi et quædam alia ad eundẽ Ma-
giſtratum pertinentia, conſcripta reperiuntur; cum Facultatum dicti
Magiſtratus et inſertione: Nos igitur, nè ipſius labores (propter di-
ctæ materiei in Vrbe frequentem uſum, unà cum longa eiuſdem
M. Antonij in eodem Officio experientia) cæteris ſint inanes, ſed
potius ut ad cõem omniũ utilitatẽ paratæ ſint, ſpecialibus fauoribus,
et gratijs eundẽ proſequi uolentes, Motu ſimili &c. eidem M. Anto
nio, uel ei, quem ipſe deputauerit, atq; cõmiſerit, eundem Tractatum
imprimendi; nec alius quiſpiam, ſine ipſius, uel ab eo deputando licen
tia imprimat, uendat, ſeù uenalem teneri faciat, per decem annos con
cedimus, & indulgemus. Inhibentes omnibus, & ſingulis utriuſq; ſe-
xus Chriſti fidelibus, ubiq; exiſtentibus, et præſertim Typographis,
& Bibliopolis, etiam Almæ Vrbis noſtræ hmõi, ac per Vniuerſum
Terrarum Orbem conſtitutis, & cõmorantibus, ſub excõicationis la
tæ Sententiæ, In Terris uerò S. R. Eccl. mediatè, uel immediatè ſubie
ctis, et Quingentorũ Ducatorũ auri de Camera, & ammiſſionis Li
brorum pœna, totiès quotiès contrauentum fuerit, ipſo facto, et abſq;
declaratione aliqua incurrenda, pro una, eidem M. Antonio, uel de-
putando ab eo, & pro alia, partibus, Cameræ Apoſtol. applicandis,
prout per pñtes ex nunc, prout ex tunc, et econtrà, applicamus, intrà
dictum

dictũ decemnium, ab impreſſione huius Tractatus *cõputañ. eundem* Tractatum *ſine eiuſdem* M. Antonij, *uel deputandi ab eo expreſſa licentia, dicto* Decemnio *durante, imprimere, uendere, ſeu uenales habere, et retinere, nec ad* Nundinas *quas ferias uocãt, tranſmittere audeant, uel præſumant.* Mandantes propterea Vniuerſis Venerabilibus Fratribus, Dñis Archiepiſcopis, Epiſcopis, *eorumq;* Vicarijs in Spiritualibus Generalibus, *in Statu* S. R. E. *et* Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, *& alijs, ad quos ſpectat, et pertinet, ut quotiens pro parte eiuſdem* M. Antonij, *uel deputandi ab eo requiſiti fuerint, eiſdem defenſionis præſidio aſſiſtentes, et ad eorum, uel cuiuslibet eorũ* Inſtantiã, *contrà inobediẽtes, et rebelles, per cenſuras* Eccleſiaſticas, *et ſæpius aggrauañ. & per alia* Iuris *remedia* Aucte Apoſtol. *exequantur, ac obſeruari inuiolabiliter faciant:* Volumus *aũt, et* Apoſt. Aucte *decernimus, quòd ſola* Signatura *ſufficiat; ac tranſumptis, & exemplis præſentis* Motus Proprij, *et in ipſis* Operibus, *&* Libris *impreſſis, plena fides, ac eadem adhibeatur ubiquè, tàm in* Iudicio, *q̃ extrà, quæ ſimiliter præſenti originali haberetur;* Quodq; *pñs* Motus proprius *in acie* Campi Floræ, *et in* Valuis Cancellariæ Apoſt. Noſtræ Almæ Vrbis, *affigatur, ibidemq; per affixionẽ publicetur, & in dictis* Operibus *impreſſis,* Impreſſus *perindè arctet oẽs, quos tangit, ac ſi eis perſonaliter eſſet intimatus.* Non obſtañ. Apoſtol. *ac* Prouincialibus, *et* Synodalibus Concilijs *editis, generalibus, uel ſpecialibus,* Conſtitutionibus, *& ordinationibus,* Statutis *&c. et* Iuramẽto *&c. roboratis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunq; cum clauſulis opportunis, & conſuetis.*

Placet, Motu Proprio. I.

Dat. Romæ, Apud S. Petrum, Noñ. Octobris Anno Quinto.
R. Lib. X. fol. 268.

Die 20. Octobris 1564. Affixæ, & publicatæ fuerunt &c.
Bernard. Andreutius Curſor.
Ant. Clerici Magiſter Curſorum.

QVAE IN HOC OPVSCVLO CONtinentur, cum deſcriptione chartarum per Alphab. loco numeri ſignaturam.

DE Magiſtrorum Curatorumquè Viarum, & ædificiorum Vrbis Nobilitate, Antiquitate, & Cura; In Cap. 1. in Litera. A.
De Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Card. Camerario, Camera Apoſtolica, & Viarum Præſidente; In Cap. 2. in liter. F.
De Aſſeſſore, ſiue Magiſtratus Auditore; In Cap. 3. in liter. K.
De eiuſdem Magiſtratus Notario, & cauſarum Publicarum Patrono; In Cap. 4. in lit. O.
De Peritis, Architectis, Geometris, eiuſdem Magiſtratus, Submagiſtri nuncupatis; In Cap. 5. in lit. Q.
De Depoſitariis Magiſtratus, & Computiſta; In Cap. 6. lit. T.
De Commiſſariis Magiſtratus; In Cap. 7. in lit. V.
De Delatoribus, Mandatariis, & Exequutoribus Magiſtratus; In Cap. 8. & vlt. in lit. X.
Facultates Magiſtratus incipiunt à lit. Y. vſquè ad lit. RR.
Bulla MARTINI Papæ V. Super Deputatione, reintegratione, & ordinatione Magiſtratus, iuxtà vetuſtam Inſtitutionem; in Lit. Y.
Decretum D. Card. Camer. directum Senatori, Conſeruatoribus, & aliis &c. vt aſſiſtant, & Magiſtratui in omnibus faueant; Lit. Bb.
Confirmatio Statut. & Conſtitutionum Magiſtratus; In lit. Cc.
Bulla Six. IIII. De ædif. & no. oper. conſtruen. ad decorem Vrbis; In Lit. Dd.
Bul. eiuſdem, De facul. teſtan. & diſponen. de Palatiis, & aliis ędificiis &c. In Lit. Dd.
Licentia D. Card. Camer. vt in cauſis in vim Sixtinæ & Leoninæ Bullarum procedatur per Magiſtratum abſquè dicto Camerario; In Lit. Dd.
Aliud Decretum, & Licentia præſtandi vota inter DD. Curatores Viarum, in cauſis coram eis vertentibus; In Lit. Ff.
Bul. Alex. Papę VI. De facul. teſtan. & diſponen. de Palatiis, & aliis ædificiis extrà Vrbem, intrà X. miliaria; In Lit. Gg.
Motus Proprius eiuſdem Alex. concernens auctoritatem eorundem Curatorum, ſub die 2. Aprilis 1495; In Lit. Gg.

Bul.

Bul.eiuſdem Alex.ſuper ædificiis in via Alexandrina,quæ poſtpoſita eſt;In L it.NN.

Bul.Iulii Papæ II. De facult. teſtan.& diſponen.de Palatiis,& aliis ædif.Vrbanis, ſeù Ruſticis; In Lit. I i.

Decretum Reuerendiſs.Cameræ Apoſtol.in fauorem Inquilinorum,editum;in Lit. I i.

Bul.Leo.Papæ X. De poteſtate teſtan.ædifican. & alienan. omnibus in Alma Vrbe exiſtentibus;In lit. Mm.

Motus Proprius eiuſdem Leo. Quòd à Sētentiis latis ſuper ædif. & aliis bonis,appellari non poſſit, ſed infrà certum tempus ad Cameram Apoſtol.recurratur;In lit.Yy.

Motus Proprius Pauli Papæ III.De Facul.eidem Magiſtratui cōceſſa;ſuper lectitiis,domorum,& impoſitionibus facien. domibus cenſuatis;In lit.BB.vbi per errorem eſt ſignata CC.

Alius Motus Proprius eiuſdem Pauli,ſuper confirmatione Iuriſdictionis eiuſdem Magiſtratus;In lit.DD.

Aliud Decretum Cameræ Apoſtol. in fauorem dominorum domorum, Inquilinorum, & Subinquilinorum factum, de non augenda penſione,ac de non expellendo Inquilinos,& Subinquilinos, durante locatione; In lit.GG.

Motus Proprius Iulii Papæ III. Super expurgatione Viarum Vrbis,in lit.I I

BREVIS DESCRIP-

BREVIS DESCRIPTIO IVRISDICTIONIS MAGISTRATVS CVRATORVM VIARVM, ET EDIFICIORVM Almæ Vrbis, eorumquè qui circa eos ſunt, in octo Cap. diuiſa.

CAP. PRIMVM.

DE MAGISTRORVM Curatorumquè Viarum & ædificiorum, Nobilitate, Antiquitate, & Cura.

*

DIGNVM, congruumquè, hic, eſſe videtur, priusquàm facultates Magiſtratus Curatorũ Viarum, Aedificiorũquè Publicorũ, & priuatorum Vrbis conſcribantur, pauca de eodem Magiſtratu referre. Ipſe inquàm, noſtro moderno tempore, ſolo mutato Nomine illius Antiquiſſimi Romanorum temporis, licèt in adminiſtrandis negociis, gerendisquè cauſis, Officia vtriuſquè temporis varia, ac prima fronte ſub diuerſo nomine nuncupata appareant, a idem ferè eſſe, nihilominus dicitur; Magiſtratusquè Aedilium Curulium denominari poteſt, vt virtualiter hodie reputatur. Sufficit enim ut in pluribus æqualiter conueniant, & quod vni aſcribitur, alteri quoquè, tàm ex Iuris diſpoſitione, quàm ordinaria huius Ma-

a ad not. in l. ſi idem. C. de codicil.

giſtratus facultate, à fæl. recor. MARTINO, huius nominis Quinto, Summo ex Columnenſiũ Romanorũ Familia PONT. Anno poſt CHRISTVM natum, Milleſimo Quadringenteſimo uigeſimo quarto, honorificè in Legem, in ſuis Literis in forma Bullæ, etiam traditum eſt; tamquam à Baſe firma procedens, radicaliquè fundamento, ac integra Columna, b Magiſtratus erectus, fundatus, ac cum Regia facultate iuxta antiquam illam Iuriſdictionem reſtitutus, & ordinatus extitit: quam erectionem, reintegrationem, Iuriſdictionem, & officium, ſic in legem conceſſum, à ſuis deinde ſucceſſoribus comprobatum eſſe, ex Literis Apoſtolicis in forma Bullæ, & Motus proprii, ex Statutis particularibus eiuſdem Magiſtratus, Reformationibus, Decretis in Camera Apoſtolica, & in eorundem Statutorum libro notatis, dignoſcimus: quas leges, vt Columnas ædificio affixas, nemini eripere conuenit. c Expectabat ergo Ciuitas Romana Põtificem illum, vt tale Tribunal erigeret, & quod (non illo antiquiſſimo Romanorum tempore, ſed alio antiquo modernorum dicto) in deſuetudinem abiiſſet, ſiue inordinatè per Vrbis Regiones diuiſum erat, gubernaretur: Et ſicut colubris, quaſi vmbram colat, teſte Archidiacono Bononien. dici ſolet, d ſic & illa MARTINI Columna, quaſi colat vitam, etiam dici poteſt, licet quia culmina ſubſtineat, etiam deſcribatur. Ipſe etenim omnium Cardinalium, pariter & omnium Nationum amore, & aſſenſu, in Conſtantienſi Concilio, die qua Feſtum Diui MARTINI celebraretur, mirificè ad Apoſtolatus Dignitatẽ, Anno MCCCCXVII. aſſumptus eſt, ac magna lætitia S. P. Q. R. cum ad vrbem veniſſet, & ipſum, (tùm quia Romanus, tùm etiam, Sapientiſſimus, & Optimus erat) ac deinde Legem prædictam, & officium erectum, ob ædificia Eccleſiaſtica, & profana, ruina ferè, & vetuſtate collapſa, deformitatem reddentia, quam libentiſſimè recipit. Verùm, vt ad Magiſtratum redeam, illo primeuo tempore, quò Leges in Vrbe fundarentur, duo Viri electi ſunt, Aediles Curules nominati, qui ædibus præeſſent, & vt omnia Ciuitatis ædificia munda, & integra ſeruarentur, curam habentes; e ac alii duo Præfecti Annonæ nuncupati, ex deſcriptione L. Feneſtel. f Sed quia curam Viarum non habebãt, creati ſunt & alii quatuor, Viarum curam gerentes, g quos hodie Magiſtros, ſeu Curatores Viarum, & ædificiorum nuncupamus; eoſquè Aediles Curules etiam eſſe conſtat, ex narratione Tullii, de Curatore Viæ Flaminiæ loquentis,

b ad not. in l. fundamenta, circa princ. de electio. in 6.

c l. cætera. ff. de leg. 1.

d in d. cap. fundamẽta in uer. colubri.

e l. 2. §. poſt originẽ, uerſ. iiſdem tẽporibus ff. de orig. iur.

f in. 2. lib. Magiſtra. Roma. cap. 13. de Aediliti.

g d. l. 2. §. deinde cum eſſet, uerſ. eodem tẽpore.

tis; h iuncto altero eius dicto, dum Furnio ſcribit; i qui de tempore ad Officium Aedilis deſtinato teſtatur, vt vtriuſquè loci, aliorumquè iunctione habita, ac aliorum auctorum aſſertione; facilè curam ſimilem modernis Magiſtris traditam, gerentes, Aediles Curules illius antiquiſſimi temporis eſſe dicuntur: Nec quidem eos, Aediles eſſe, apud Iuriſtas ambigitur, cum & Magiſtrorum, & Aedilium, vnum & idem Officium in iis verſari dicitur; Primò, vt ab eis eorumquè Mandato adequentur Viæ: ac nè aquarum effluxiones ædificiis afferant nocumentum: Muri, parietesquè domorum verſus viam, deformati non exiſtant, ſed ad Vrbis decorem & ornamentum, pulchriores reddantur: k In Viis, nè quid, abſquè ipſorum licentia conſtruatur, quod Vias & loca publica occupet, aliàs deſtruitur: Nec quicquam ex mercibus, eas in locis publicis ſternendo, præter ſolitam quantitatem, menſuram & filum, ſimiliter occupet; m Eodem modo nè quid, morboſum inferatur: Licentiam quoquè concedunt, ſubterranea inueniendi, vt Marmorea, Tiburtina, & alia cuiuſcunquè generis Lapidicina, etiam Pretioſa, & Statuas (in Viis, & locis Publicis) effodiendi, partemquè ſolitam ac iuſtam Publico, aſſignandi: Et illam redhibitoriam actionem in Mancipiis, animalibusquè morboſis venditis, quæ coràm Aedilium Curulium Magiſtratu de Iure Digeſtorum agebatur n (præter alias rationes) fundatam ex eò etiam dicimus, quia ab eorum Dominis antè venditionem curari debebant, nè Ciuitas, peſtifera redderetur; quod, ſi tunc actum non fuit, vt ſaltim, idem poſt redhibitionem fieret, vt aer, ſanior reſtituatur. Curà ergo eorum, ferè eandem eſſe fatendum eſt, cum ſi illa redhibitoria eis hodie non conueniat, ſaltim dicta ratio, eiuſquè cauſa, eiſdem competere poſſe dicitur, cum, in cæteris ex deſcriptis caſibus eandem cognitionem Magiſtri Viarum habeant, ſicut tunc Aediles Curules, ac in aliquibus forsàn maiorem, vt ex eorum Facultatum teſtimonio apparet, maximè in cauſis in Iuris Protomiſeos, ſiue congrui materia, ad Vrbis ornatũ eiſdem conceſſa, & demandata; eaſquè diſtinctas congeſſi; & poſt præſentem Deſcriptionem (iuxtà Pontificatus & temporis ordinem) collocaui. Et cum M A R T I N V S qui poſt deſuetudinem ipſam, ſiue inordinatum modum, primus fuit, qui omnium ædificiorum cognitionem, vt cauſas Operis Noui nunciationis, Seruitutum, aliarumquè rerum ab eis dependentium, commiſit, vt in ſuis Literis in ordine primis, infra deſcriptis, apparet. SIXTVS deinde PAPA huius nomi-

h in Epiſt. 1 ad Atti.

i in lib. x. Famil. epiſt. 25.

k l. Aediles Curules. ff. de uia publica.

l §. deinde cõpetens, cũ glo. in uerſi. domũ, in Auctẽ. de Manda. princ.

m ad not. in l. lectos, per illũ tex. ff. de peric. & com. rei uẽdi.

n toto tit. ff de Aedil. edic.

nis Quartus, & LEO Decimus, ædificia conſtruendi ad Vrbis ornatum, in fauorem vicinorum ædificare volentium, in dicta Iuris congrui materia Iuriſdictionem tribuerunt, illamquè deinceps multi ſucceſſores confirmarunt, augeruntquè, vt in eis diſponitur. Iidem ergo Magiſtri (vt antiquiſſimo tempore Aediles ab ędibus dicuntur) o ædium quoquè hodiè curam gerunt, ità, ut qui de incendio & ruina timet, ſoleat ad eundem Magiſtratū ut proteſtationem de dicto dāno infecto admittat, recurrere; cauſamquè inde (ſi opus eſt) de Iure expedit. Laborioſum tamen Officium eſt, & in hoc odioſum, vt vni vicino domum ſuam, uel ipſius partem, dirui Magiſtri Viarum faciunt, ab alioquè conuici no damnum ipſum refici, ità, ut dici poſſit quòd abſquè delicto domus diruitur, & pecunia ſoluitur; ab unoquè parum diligantur & ab altero odio afficiantur. Et ſicut eodem antiquiſſimo tēpore ob eorum dignitatem, Curru ducebantur, p ità, & hodiè ob Nobilitatem, & dignitatem, Curriculi loco, dum Princeps Sanctiſſimus Dominus Noſter, per Vrbem, & extrà propè eam æquitat (ad quā æquitationem prius intimantur, ſiue in dies in Palatio Apoſtolico verſantes, id, aliter ſciunt) antè Pontificem, nudato capite (quibus hoc præcipuum eſt) incedere, & præire ſolent, aureſquè & intentionem Pontificis tunc & alio quouis tempore, in ſignum eorum Nobiliſſimi Officii, ſemper habentes, & cognoſcentes. Duobusquè Patritiis Romanis à Pontifice, Vrbis Principe, à quo immediatè procedit Officium, ipſum annuum condonatur, ac ad eius libitum quandoquè iidem confirmantur; & ab Illuſtris Dominis, etiam Maieſtatibus prǣditis, in fauorem ad eundem Officium concurrentium, maxima cum inſtantia, apud Pontificem peti ſolet; cum magna, ac Regia Poteſtas, & via, ab eodem MARTINO, q ac deinceps à cæteris Pont. multis in rebus & cauſis conceſſa & tradita ſit, nequè idem Magiſtratus ob eius dignitatem, occaſione adminiſtrationis, à quoquam ſindicari, ac in cauſam trahi poteſt, r Qui, ut Ciuitas pulchrior efficiatur, etiam domum priuati ruinoſam, deſtrui facere poteſt (licèt hoc de Summi Pontif. conſenſu facere ſoleat) ex maturo conſilio, & deliberatione præambula) & id, inde per Gettitum, hoc vocabulo in Vrbe ſic denominatum, quaſi in terram iactum, agunt; ad ſimilitudinem nauis depræſſæ, & per Rhodianam Conſtitutionē exoneratæ, s cuius quidem Dignitatis ratione, ab eodem SIXTO, & LEONE, in dicto Iure congrui, vnà cum Illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo D. Cardinali S^i R. E. Camerario, Iudices

Ordinarii

o gl. Aediliū. in.l.i.ff. de ædil.edic.

p d.glo.in.l.i. de ædil.edic.

q vt in. §.iii. ſuæ Bullæ.

r ut in d.§.eius dem Bul.

s toto tit.ff.ad l.rhodi, de iac.

Ordinarii electi, & deputati exiſtunt, licèt in cęteris cauſis Noui operis nunciationis, & Seruitutum, ac ab eis prouenientium iidē Magiſtri cognoſcant, & abſquè D. Camerario cauſas terminent, excepto caſu inferiùs notato; t A Magiſtratu etenim dicti ſunt, & non à Magiſterio, cum ſi à Magiſterio dicerentur, ſoleat dici potius. N. Magiſter muratius, quàm Magiſter. N. murarius, vt ex dictis Hoſtieñ. & Odofre notatur; u ſicut ob Magiſtratus dignitatem nominatur Magiſter Sacrorum Officiorum, Magiſter Militum, Equitum, Magnus Magiſter Rhodienſis, Magnus Magiſter hoſpitii Regis, & ſimiles, Et in Euangelio, Vos vocatis me Magiſter & Domine, ac etiam in Curia Romana Sacri Palatii Auditores, Reuerendiſſimæ Camerę Apoſtolicæ Præſidentes & Clerici, & Referendarii Papæ, Magiſtri in Reſcriptis à Pontifice cognominantur, quaſi dignitas huius nominis, ſit, à magis, id eſt valde, x vel magis ideſt melius, y proueniat; & ſtatio, z cum Magiſtri præ cæteris ſciant, quaſi ter magis ſciant, & in Magiſtratu magis poſſint. Habet ſiquidem Magiſtratus (quo ad Iuriſdictionem) ſupra ſe (vltra Summum PONT.) Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. Dominum Cardinalem Camerarium, Cameram Apoſtolicam, & pro ea ſuum Viarum Præſidentem, vt eidem Magiſtratui in rebus oportunis ac conuenientibus præſit, & ad eum in cauſarum particularium perſonarum recurſu (vt ad eandem Cameram) recurratur, in cauſis verò Publicis, vt in d. Iactu, vulgariter in Vrbe Gettitu, pro nouis Viis & Plateis conſtruendis, & antiquis reformandis, idem etiam interueniat & ſubſcribat, vt in ſequenti cap. dicam; ſub ſe verò, idem Magiſtratus ſuos Officiales retinet, vt Aſſeſſorem, ſeù Auditorem, Notarium, & eius Subſtitutos, Cauſarum Publicarum Patronum, Peritos vulgariter Submagiſtros, Depoſitarios, Computiſtam, Delatores, Mandatarios, ac Exequutores, quos breuiter & eorum Officiū, in parte, ſeriatim recitabo.

t in ca. 3. in fi.

u vt in ſum. de Magiſtris.

x l. quod ſi no. lit. §. pen ff. de ædil. edic. l. i. cum glo. ff. de æxti. actio.

y iuxtà not. in l. Imperatores cum glo. & l. adulteriū. ff. ad l. iul. de adul.

z l. vni. C. de magiſt. ſcrin. li. xii.

CAP. SECVNDVM.

DE ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D. CARDINALI CAMERARIO, Camera Apoſtolica, & Viarum Præſidente.

DVO genera cauſarum, coram ędificiorum Magiſtratu tractantur, & iudicantur, (ommittendo D. Camerarii, & Camerę Apoſtolicæ Dignitatem, & Auctoritatem, cum ſit extrà materiam propoſitam) quàm aliàs forſan ſi ocii mihi erit, particulariter conſcribam; cuius Cameræ, quædam in meo tractatu De Tempore Vtili, & continuo, deſcripſi; a & de D. Camerario remiſſiuè etiam tetigi in altero Tract. Iuris Protomiſeos; b. Vnum ergo genus eſt, Noui operis nunciationis; Seruitutum, omniumquè ab iis prouenientium, vt damni infecti, aquæ pluuiæ arcendæ, & ſimilium, vt in præcedenti capitulo dixi. Alterum dicti Iuris Protomiſ. ſiue congrui; Super primo, idẽ Magiſtratus, ut in allegato præcedenti capitulo narrare incepi, ex dicta MARTINI Bulla, aliorumquè Pontificum cauſas decidit, per monitionem, ſiue inhibitionem inceptas, ac etiam ex petitione in loco differentiæ facta, & aliàs iuxtà qualitatem cauſarum vt in capitulo ſequenti referam: & in ſecunda inſtantia, ad Mag. D. Capitan. Appellationum & nullitatuum maior pars litigantiũ reclamare ſolet; licèt vt inferius dicam, congruentius ad eandem Cameram Apoſtolicã recurreretur, vt in cauſis ſecundi generis, vt plurimum fieri ſolet. Super quò verò ſecundo genere, idem D. Card. Camerarius vnà cum eodem Magiſtratu in illo Iure, Iudices Ordinarii exiſtunt, vt ex dicta Bulla SIXTI IIII. LEONIS X. De ædificiis, & nouis operibus conſtruendis, ad decorem Vrbis, videre licet; in cuius Camerarii locum ſolet ipſe ſuum Auditorem, & Locũ tenentem deputare, vt inſimul cũ DD. Magiſtris cauſas terminet, & decidat: Et in vtroque genere cum con

ſilio

a in cap. xv.

b in prohem. nu. 4.

ſilio; & voto eiuſdem Magiſtratus ſui Aſſeſſoris, & Auditoris, vt in ſequenti capitulo, in cauſis Laycorum, Clericorum, Eccleſiarum, Piorum locorum, etiam exemptorum quorumcunquè, facultatem habent; Reclamatio verò ab eiuſdem generis cauſis, ad Cameram Apoſtolicam fieri debet, ex Motu proprio eiuſdem LEONIS, ſub Rubrica, Quod à ſententiis laris ſuper ædificiis appellari non poſſit, ſed ad Cameram Apoſtolicam recurratur; licèt quo ad tempus quindecim dierum, ibidem deſcriptum, c vſu non ſit receptum, ac in vno tantùm caſu videatur loqui. Errare ergo dicuntur qui ad eundem Capitan. prouocant, arbitrantes Magiſtratum Curiæ Capitolii ſubiectum fore, cum niſi à partibus litigantibus, vel per Principis Reſcriptum eius Iuriſdictio fuerit prorogata, poterit per eandem Cameram cauſa reaſſumi, committi, & inhiberi, ad vnius collitigantis inſtantiam, ex iuſta illa, & æqua ratione, vt, quia in iis. D. Camerarius interuenit, debeat indè potius ad maiorem, vel ſaltum ęqualem Iudicem recurri; d Et hoc idem in cauſis Noui Operis, & ſeruitutum, etiam ſeruari vidi, ex quo Magiſtratus de eiuſdem Cameræ membris dicitur, vt in dicto Tract. Iuris Protomiſ. cõſcripſi; e Ideo apud eundem Magiſtratum, feriæ non niſi in honorem DEI indicuntur, cum ęxtiuo tempore antequam Illuſt. D. Vrbis Senator, omneſquè Iudices Curiæ Capitolii in cauſis Ordinariis Ius reddere deſiſtant, ſolet in domo alterius ex Dominis Magiſtris, illius ſcilicet qui ſeniori ætate affectus ſit, Ius vnicuiquè reddere; nulla, ſi cauſæ ſummariæ vel ordinariæ fuerint, conſideratione habita; more Camerali; exceptis tantùm cauſis Commiſſariis, niſi cum feriarum derogatione commiſſæ reperiantur. Si ergo ad Cameram recurratur, ſolet ſemper vni ex Reueren. Patribus Dominis Præſidentibus, & Clericis, & pro ea, Viarum Præſidenti, qui annuatim, ſortè, cum aliis eorum Officiis, extrahitur, committi cauſa; in quibus quidem cauſis, maximè huius generis, idem D. Camerarius, Camera, & Præſidens eidem Magiſtratui præſunt, ita vt ſi quandoquè votum alterius eorum, ab aliqua partium petatur, concedi ſoleat; vt in ſequenti capitulo. Si verò cauſa publica foret, vt ſi pro Via, Platea, ſeù quid ſimile, quod publicam vtilitatem, & commoditatem afferat, & cum taxa deſuper conficienda Iectutum fiat, conſulto eodem. D. Camerario, ſeu Viarum Præſidente, hoc fieri ſolitum fuit, qui vnà cum Magiſtratu, & Capite illius Regionis, vbi Iect. tum fieri contingeret, totius Regionis nomine, ſi de ipſius hominum damno, & intereſſe tractatur, ac

c in. §. 2. eiuſdem mot. proprii.

d l. I. §. ſiquis, iuncto §. pen. ff. de appella. & glo. in. c. romana, in prin. eo. tit. in vi

e poſt. §. fi. ſuper Quæſt. in Quæſt i.

quiſquè

eorum manu ſua, taxam ſubſcribit; idem verò Caput Regionis in iis interuenit, ut homines inde conquærentes (niſi euidens dãnum ſuperfluaquè impoſitio eis forſan ſit errore iniuncta) non audiantur; ac vt taxæ facilius per Commiſſarios exigantur; aliàs, captis pignoribus ad ſubhaſtationem, & deliberationem deueniatur. Solet quoquè idem D. Camerarius ſuam Auctoritatem impartiri, dum Magiſtratus in principio ſui Officii, vel indè alio quouis tempore, exigente neceſſitate, bannimenta contra quoſcunquè, de rebus, ad Officium prædictum ſpectantibus, ſub nomine eiuſdem D. Camerarii, & Magiſtratus emittere, & impreſſa, per loca ſolita affigi, vt omnibus innoteſcant, Sed de prędictis impoſitionibus, pro ædificiis, operibusq; publicis ad cõmunem vtilitatem paratis, quid ex ordine Beatiſſ. D. N. PII IIII. mirificè laudabiliterquè factum ſit, ſatis in Vrbe notũ eſſe dicitur, inſimulquè ſua etiam notabilis ſummæ impenſa, ædificia multa, non minus pulchra q̃ hoĩbus in ſpiritualibus & tpalibus vtilia, ſub ſuo Fœliciſſ. Gubernio hucuſquè conſtructa reperiuntur, ac continuè fiunt; imitando, in hoc, veſtigia eorundem MARTINI V. SIXTI IIII. LEONIS X. & aliorum Pontificum, qui Vrbem vtiliorem, & ſalubriorem in dies reddiderunt. Videmus etenim (vltrà illud Nobiliſſimum, Munificentiſſimumquè præ cæteris pulchrius; ac ſumptuoſius Aedificium, Beatiſſ. PETRI Apoſtoli TEMPLVM, quod ferè omnibus Pont. conſtruendum, commune exiſtimatur) tempore eiuſdem PII, primò Eccleſias, intus & extra, reſtauratas & ornatas, Animabus CHRISTI fidelium Deuotionem, Diuiniquè cultus honorem afferentes; Deinde Portam, & Viam, nomine PIAS, in Quirinali; quæ Via, licèt in Monte ſit, plana tamen eſt, recta, longa, & lata, vt rarò alibi ſimilis inueniatur, multis pulchriſquè viridariis & aliquibus ædificiis hincinde ornata, vna ipſius pars ab eadem Porta Pia, vſquè ad SS. APOSTOLORVM Plateam; extra verò, ab eadem Porta, vſquè ad vetus Templum Bacci, & Templum hodie Diuæ Agnetis, ſe extendit: quæ via, & Porta, in parum diſtanti loco, antea aditum ſub eiuſdem Agnetis nomine habebat, quæ antiquitus Viminalis dicebatur, nunc verò antiqua Via interciſa, & ad culturam redacta, Portaquè ſecluſa, ac remurata reperitur. Similiter & Ciuitatem PIAM, aliàs Burgum Pium, inter Beati Apoſtoli PETRI Templum, & Molem Adriani, propè Vaticanum Montem, reſpicimus; cuius Burgi Pii ædificatoribus domorũ, & habitatoribus, varia priuilegia exemptioneſq; ab eo

dem

deni Pontifice PIO, concedi ſperatur, quæ ab ipſo Põtificio No
mine nuncupantur, ſicuti ab altero nõ Pontificio, ſed ſuo Baptiſ-
mali, altera Via Angelica, in eodem Vaticano exiſtens, cognomi-
natur; denominationéquè ſic à Nomine Principis ortam, fieri poſ
ſe nemo dubitat. f Nec minoris expectationis eſt alia Via, extrà
Vrbem, ac Portã Celimontana, quã hodiè S. IOANNIS La
teraneñ. vocant, quàm ſint aliæ conſtructæ, & terminatæ, cũ ex
Nobili magnoquè pecuniarum erogationis principio, maximus
decor, pulchritudo, atquè cõmoditas facillimè indè ſperari poſsit.
Prout nunc Viã illã Flaminiã, eiuſquè Portam extructã de Popu-
lo vulgariter nuncupatã, eám neceſſariã fuiſſe cognoſcimus. Vi-
demus quoquè Molem Adriani, Caſtrum S. Angeli nuncupatã,
in ampliorẽ formam redactã; ampliationéquè ipſam muris, ac me
niis, & vallo circundatã, vt fortis cum fortitudine iuncta, fortiſsi-
ma iudicetur. Palatiumquè Apoſtolicũ in eodẽ Vaticano, mul-
tis in ipſius locis exornatum, repurgatũ, & adauctũ cõſpicimus;
vt Aulam Regum, illuſtratã. Curſoria, ſeù louia repurgata, & alia
ibidem nouis porticibus & columnis, à finibus conſtructa, & vn-
diquè laterum, ampliata. Ac in Viridario eiuſdem Vaticani vbi
hodiè eius denominatio verificatur, cum Beluidere nuncupetur,
inter alia Theatrum Auguſtiſsimũ, inſignes porticus habens, ſedi
libus, ſtatuis, columnis, incruſtationibus, picturis, aliiſquè ornamẽ
tis, miro ordine contextum: Nec iis tribus ędificiis, ex eorum am
plitudine & ornamento, reſpectiuè, in Orbe paria inueniuntur.
Portũ centum cellarum inſtauratum; Ciuitatequè ipſam vallo au
ctã: ac Viã, cum Pontibus vſquè ad Vrbẽ in meliorẽ, ac ſecuriorẽ
formã repoſitã. Propugnacula Maris, ét ordinata exiſtunt. Viam
quoquè habemus in Vrbe in Foro Boario, ex qua antiquior Ar
cus Triumphal. TIT. Veſpa. ad alterũ L. SEPT. Seuer. & M.
Aurel. Anton. Pii Impp. correſpondet. Aliamuè in Hortulorum
colle, hodiè Pincio, vbi proſpectus ferè maioris partis Vrbis, om-
nibus patens erit. Vtrunquè Palatiũ Capitol. reſarcitum, vt illud,
Illuſtr. DD. Vrbis Conſeruatorũ, ex incepta porticu, cum mirabi-
liſquè ordinis Columnarum impoſitione, opus ipſum, ab illo ſa-
tis per Orbẽ noto M. Angelo Bonarota, alio ſuo ædificio, forſan
dignius, pręclariuſquè, ità vt magno eius ingenio, & arte, idipſum
inceptũ, ac in figura & exẽplo vltimum eſt Vitæ ſuæ patratum;
Eiuſquè Viã Capitol. Nobiliorem factã. Gymnaſium Publicum,
ét reſarcitum, & auctum. Præparamenta ad Palatium à IVLIO,
PAPA II. à fundamentis iactũ, in Via Iulia, intelligimus; vt id
ſub PIO IIII. (vt ſperatur) completũ, & perfectum, omnibus

f ad tex. in .l. opus nouũ in fin. ff. de oper. pub.

Proſequitur de eodem PIO iiii. Vrbis Reſtauratore, Illuſtratore, & Ampliatore,

Vrbis Tribunalibus,ad maximã Curialiũ litigantium, vtilitatẽ, & cõmoditatẽ paratum,tribuatur. Ac ductum aquæ Virginis, ſiue Saloniæ(cum illam,huius nominis, Virginẽ, Agrippa ad Vrbem conduxerit & cuius arcus diſtructos per C. Cæſarem à fundamẽtis,Tit. Claudius nouos fecit,atquè reſtituit,)eamquè in eadẽ Vrbe ad Fontem Triuii quidã fuiſſe aſſeuerant)& ad eundem Fontem citò maiorẽ ſperamus,ſicut iam altera, Oris Leonis, aqua cognominata,magnô cũ labore & impenſa,ex eiuſdem Pont. ordine,ad dictũ Triuii Fontẽ ducta eſt;vt indè,iis tribus aquis vnitis,in vnicumquè caput ibidẽ redactis, in diuerſis locis Vrbis fluere poſſit,vt facilius plures Fontes in Plateis,Viis,& ſtratis, aliisquè locis publicis & priuatis,ad dictã hominũ & animaliũ vtilitatem, conſtruãtur. Impoſitionéquè multorũ milium aureorũ audimus,ob lectitũ,& diruptionẽ Inſulæ domorũ,in Platea S. Petri Apoſt. exiſtentis,vt viſo nũc exactionis & domorũ demolitionis principio, videamus indè latiorẽ Plateã, & facilius facies Principalis Templi proſpici poſſit. Multa quidẽ alia ædificia publica parantur (vltrà priuata)in quibus Architecti in dies,ingenium acuunt,quæ breui tpe,reſpectiuè,Vrbẽ pulchriorem,ſalubriorẽ, & vtiliorẽ reſtituẽt, vt non illo antiquiſſimo Romanorũ, ſed noſtro Pio tpe) Mirabilia Romæ ferè dici poſſunt,& meritò,cũ tanto accuratius (etiã in iis faciem conſiderationis extendere conuenit, quanto Roma caput eſt Orbis,vbi Chriſtus Sacerdotii,ſuæquè Religionis Principatum inſtituit; Quorum ædificiorum,operumquè ſic Nobiliũ, & Regalium,vel eorum magnæ partis,etiam iſte Magiſtratus Curam habet,& Iuriſdictionem exercet.

CAP. TERTIVM.

DE ASSESSORE, SIVE MAGISTRATVS AVDITORE.

PLVRES in Vrbe Aſſeſſores sũt,vnus eſt,iſte Curatorum Viarum;& Aſſeſſor Magiſtrorum Iuſtitieriorum; Aſſeſſor primorũ Conſulum, Nobilium Bobacteriorum dictus,quibus ego quoquè iam Aſſeſſor fui;Alius verò, aſſidet Cõſulibus Mercatorum,& deincps ceteri, ceteris Cõſulibus in Curia Capitolii reſidentibus,quorum primus eſt, ille Curatorum Viarum,nõ primus ratione perſonæ; ſed ipſius Magiſtratus Dignitatis contemplatione, cui (licèt n-

cèt indignè) pluribus annis aſſedi, & ad præſens etiam aſſideo, cu ius Aſſeſſoris, ſeù Auditoris cura, & officium in genere, in Iure diſpoſitum reperitur, a in ſpecie verò, cum Magiſtratu, peritis, & Submagiſtris ad differentię loca accedit, ſeruato prius citationis termino, de quo dixi in Tract. Iuris Protomiſ. b Et licèt cæteri Aſſeſſores, non niſi eorum vota ab vna litigantium parte petantur, ſe in cauſis ingerunt, Votaquè ſua in ſcriptis præbeant, hic tamen cauſas omnes inter priuatas & particulares perſonas vertentes, de ſtilo audit; licèt per Motum propriũ A L E X. P A P A E VI. ſub die II. men. Aprilis datum, Anno M C C C C X C V. aliter diſponi videatur, c qui de Iure in omnibus cauſis reſpondet, voceque Dominis Magiſtris conſilium, & votum ſuum prębet, modum, ordinem, & tenorem in ſcriptis proferendæ interloquutoriæ, & diffinitiuæ ſententiæ & Decretorum Notario oſtẽdit, & ordinat; ideoquè diebus omnibus, quibus Ius in Capitolio redditur, ad locum Tribunalis cum eiſdem Magiſtris reſidet; vbi etiam ſolent aſtantes eſſe cæteri eorum officiales, Magiſtratuiquè in ſuo exercitio obſequentes; quam ſimilem & continuã Seſſionem cęteri Aſſeſſores facere non ſolent. Et quamuis coram alijs Capitolinis Iudicibus iuxtà formam ſtatutorum Vrbis, in cauſis à x. aureis ſuprà offeratur libellus, d nihilominus coram eodem Tribunali, in ordinariis cauſis, via Monitorii, & inhibitionis proceditur, cum ſubſcriptione Notarii, & DD. Cardinalis Camerarii, & Magiſtrorum Sigillis, & termino octo dierum, ad contenta in eis adimplenda, in cauſis Iuris Protomiſ. quæ aliàs cauſæ Camerales, vulgariter nuncupantur; quo termino elapſo, poſt citationis exequutionem contra reum factam, ipſoquè nihil dicẽte, & non comparente, contra eundem idem Monitorium exequitur, vt ſatisfiat Bullæ Sixtinæ dicenti, bis cum termino conuenienti, e ipſo verò comparente & negante, ad id, quod neceſſarium eſt pro cauſæ inſtructione, deuenitur. In cauſis autem Noui operis nunciationis, Seruitutum, & ab eis dependentium, relicto D. Camerarii Sigillo, & mandato, ſed ſola eiuſdem Magiſtratus auctoritate, cum termino trium dierum, monitoria, & inhibitiones emanantur, ex quo facilè dignoſcitur, nil aut parùm cõmune habere cum Curia Capitolii, niſi quò ad locum Reſidentiæ, quæ nihilominus Reſidentia pro maiori Patronorum cauſarum, partiumquè litigantium commoditate, ibi collocata eſſe dicitur, cum ii in cæteris Romanorum cauſis ibidem confluant. ac nè ad domum DD. Cardinalis Camerarii & Magiſtrorum, pro

a vt in tit. ff. de offi. aſſ. & C. de aſſeſſor.

b inſ. 2. in. 3. not. ſub nu. 8.

c inſ. 3. eiuſdẽ mot. proprii.

d vt in c. 53. in 1. lib. ſtat.

e inſ. 5. eiuſdẽ Bullæ.

vnaquaquè re, in dictis Iuris Protomiſ. cauſis, accedatur; propterea ex licentia Raphaelis Cardinalis S. Georgii, olim S. R. E. Camerarii, ſub die prima Iulii Anno, MCCCCLXXXIII. Magiſtratus tantùm, Proceſſum inſtituit, & format in eodem loco; limitataquè etiam eſt ipſa Reſidentia, cū ſoleat Magiſtratus quoquè domi ius reddere, vt in præcedenti capitulo dictum fuit. Si verò cauſæ ſummariæ fuerint, vt mercedum, & ſimiles, ſolent citationes cum petitionis inſertione abſquè monitorio fieri, & ſi reus contumax fuerit, ſolet, tertiò, contra ipſum exequi, vel ſecundò, cum intimatione, arbitrio Magiſtratus, & indè mandatum exequutiuum decerni, & relaxari; reo verò comparente, et negante, vtitur in iis ſummariis quandoquè pecuniarum petitarū depoſito, conſignando actori, ſi vicerit; Sed ſi cauſæ, Viarū, laterumuè pauimentationis, cuiuſcunquè quantitatis fuerint, ratione publici fautoris vnica citatione præcedente, ſolet etiam contra inquilinos relaxari mandatum, ad computum tamen penſionis domorum; f Conſueuitquè inde in actis fieri decretum, vt talis compenſatio penſionis per dominum domus ſeruetur, vt in eodem Tract. Iuris Protomiſ. notaui; g ac ſimiliter contrà eoſdē ſeruatur, ad idem computum, pro ſolutione impoſitionis taxæ, ſi via ex iectitu, intus & extrà Vrbem, conſtruenda ſit; h Quomodo autem iectitum & taxa fiat, inferius recitabo. i Si verò inquilini & coloni fortè prius ſoluerint penſionem, nequè finito locationis tempore eam continuare intendunt, ſolet à dicto tempore ſuprà, iuſiurandum in actis præſtare, domumquè & alium ſibi locatum locum renunciare; nec amplius nomine & loco dominorum domorum grauantur; ſin autem talem declarationem non fecerint, tenentur ratam dominis ſuis tangentem, ſoluere; ac ne domus euacuatæ remaneant, quandoquè Magiſtratus eadem loca dictæ impoſitioni & taxæ ſubiecta, nomine & loco dominorum earundem locat, & relocat, ad effectum vt publicæ impoſitiones de ipſis penſionibus ſoluantur, ſi commodè ab earum dominis, vt propter abſentiam, vel aliud, exigi non poſſit. Ac in cauſis particularium litigantium, etiam Magiſtratus ſolet cum Aſſeſſore, Peritis, Architectis, & Geometris, aliàs Submagiſtris nūncupatis, & Notario, ad differentiæ loca accedere, vt facilius de Iure vel conſuetudine terminentur, cum inſpectio, magnæ cōſiderationis pro reſolutione, eſſe dicatur. k In cauſis verò Iuris Protom. vltrà prænominatos, etiā D. Auditor & locūtenens D. Cardinalis Camerarii interuenit, maximè ſi inter duos ſeu plures

f l. ædiles. §. quicunq;. ff. de Via pub.

g poſt. §. fi. ſuper Quæſt. in Quæſt. 14.

h vt in dicta Quæſt. 14.

i in cap. 5. de Submagiſtris.

k §. ad officium, in. l. ſi irruptione. ff. fin. regum.

ad

ad eundem locum petendum eis contiguum, detur concurſus; vbi adiacentia, indigentia, & decor publicus, ex inſpectione cõſideretur, & quis ipſorum conſideratis circumſtantiis vniuerſis, in retractu, præferendus ſit, quas cõſcripſi in d. Tract. Iuris Protomiſ. l ac vltrà informationem domi faciendam, ſolent etiam ibidem partes quandoquè cum eorum Aduocatis, & cauſarum Patronis, audiri; modum autem citandi pro dicta loci differentiæ viſione, retuli in eodẽ Tract. m quia cũ quælibet pars actor et reus ſit, n vtriquè parti terminus communis quinquè dierum ad probandum quicquid volunt & poſſunt, per omne genus probationis, aſſignatur, dieſquè vtiles vel continui, ac alii deinde termini vt modò breues, modoquè longiores, ſi opus erit, qualitate cauſæ, & perſonarum conſiderata, arbitrio Magiſtratus, more Camerali ſtatuuntur; vt à Iudicibus Capitolinis differant; licèt ex forma Iuris, tres dilationes eſſe dicantur, o ideo ALEX. VI. in allegato Motu proprio MCCCCXCV. edito, p & PAVLI III. ſuper confirmatione Iuriſdictionis huius Magiſtratus, q ut iuxtà cauſarum qualitatem in dictis differentiæ locis terminent, facultatem conceſſerunt. Et in iis, & cæteris cauſis prius per eos & Aſſeſſorem benè diſcuſſis, vt Iuris eſt, indè fertur Sententia; & quandoquè iuxtà conſuetudinem, & ſtilum, cum conſuetudo in ſimilibus ſeruanda ſit, in artequè peritis etiam ſtandũ eſſe dicitur. r Sed ſi aliqua partium ergà Magiſtratum, ſeu Auditorem. D. Cardinal. Camerarii aliquid ſuſpitionis habeat, quia Iudices ordinarii ſunt, ſolet in cauſis Iuris Protomiſ. reſcriptum à Pontifice obtineri, vbi aliquis ex Reueren. DD. Referendariis PAPAE, vel alius Iudex in Curia, in adiunctum conſtituitur, & aſſignatur, qui vnà cum Magiſtratu cauſam terminat, non autem omnes, vel alter ipſorum, in totum à iudicio reddendo, amoueri poteſt. s Et hoc idem ſeruaretur, ſi modo aliquo antè ſententiæ prolationem diſcordia voti inter eos dignoſceretur, ſiuè poſt ipſam ſententiam, ac in voto pares forent. Si verò in cauſis Noui operis nunciationis, Seruitutum, & ab iis dependentium, ceciderit ſuſpitio, in quibus, vt ſuprà retuli, idem Magiſtratus tãtùm, cum Aſſeſſore eas cognoſcit, & terminat, conſueuit per ſuſpicantem proteſtari quòd in ea cauſa non procedatur ad vlteriora, niſi cum tali voto, diffinitiuè pronuncietur, nominando in votantem vel D. Cardinalem Camerarium, vel D. Viarum Præſidentem, quam proteſtationem à Magiſtratu (Cameræ Apoſtolicæ obſequente, & ob reuerentiam) admittendam fore, vſu receptum

l inſ. 8. in. i. not.nu. 1. & in 2.not.nu.2

m inſ. 2. in. 3. not. ſub nu. 8.

n c. ex literis cum glo. de proba.

o l. iubemus C. de iud.

p inſ. 1. eiuſdẽ mot. proprii.

q inſ. 2. eiuſdẽ mot. proprii.

r ſ. quod autẽ dictum eſt, in auct. de nõalie. glo inſ. præterea per alluuionem inſtit. de re. diuiſ.

s glo. in c. ſuſpitionis de offi. deleg & glo. i. c. ab arbitris, eod. tit. in 6. iũcta glo. in l. aptiſſimi. C. de iudi. iuncta auctcn. ſeq.

ceptum eſſe dicitur, ipſumquè ſic petitum Magiſtri informari mãdant; hoc ſemper intellecto, vt coram Magiſtratu acta geruntur; & proceſſus cauſæ formatur; quod votum, in ſcriptis, ſub hac forma præſtatur, quòd eius partes ſunt in abſoluendo, vel condemnando &c. iuxtà quod ſolet per DD. Magiſtros concordantes pronunciari, citata prius parte ad alterius partis inſtantiam, ad videndum præſtari, & tradi votum, deinde ad videndum pronunciari, in forma ſolita; Idemquè ordo ſeruatur ſi in cauſis Eccleſiarum, & aliorum piorum locorum, pro eorum parte (diffinitiuè tantùm pronunciando) votum Reuerendiſſ. D. Vicarii PAPAE in ſpiritualibus, petitum fuerit; quia ſicut in cæteris Eccleſiarum cauſis, Iudex competens eſſe dicitur, ità & in iis, ſi petatur, modo prædicto valeat interuenire; vt ex Motibus proprijs ALEX. VI. [t] & PAVLI III. [u] infra notatis, cõſtat.

t inſ 2.eiuſdẽ mot.proprii.
u inſ 6.eiuſdẽ motus proprii.

CAP. QVARTVM.

DE EIVSDEM MAGISTRATVS NOTARIO, ET CAVSARVM PVBLICARVM PATRONO.

HVIC Magiſtratui, ob eius Dignitatem, & Auctoritatem, à MARTINO V. duo Notarii conſtituti & deputati ſunt, vt in eius Bulla videre licet: [a] Hodie verò cum Notariatus Officium venale factum ſit; vni tãtum Notario conceſſum eſt, qui duos pluresuè ſubſtitutos, iuxtà temporum & negociorum exigentiam, penès ſe retinere ſolet; cum vltrà etiam graues lites inter particulares & priuatas perſonas, gradu, diuitiis, honorequè præditas, etiam eccleſiaſticas & Illuſtres tùm Iuris Protomiſ. tùm etiam Nunciatio-

a inſ.3. in fin. eiuſdẽ Bullæ:

nis noui operis, Seruitutum, Damni infecti, Aquæ pluuiæ arcendæ, & ſimiles ab iis dependentes, quę coram eodem Magiſtratu verſantur, etiam illa connumerantur, quæ inter eaſdem perſonas, & publicum, eſſe dicuntur, & multæ quidem, vt ob Platearum, Viarum, aliarumquè publicarum rerum conſtructionem, & reparationem, cum taxæ & Iactus confectione, ſeù aliàs, vt in præcedentibus dixi, in quibus omnibus idem Notarius cum ſuis Subſtitutis (vt cauſarum & negociorum qualitas exigit) ſe ingerendo, in Tribunali ſolito aſſiſtit, cuius cura, illà aliorũ Notariorum eſt, acta communia facere, de Decretis, Sententiisquè Magiſtratus ſe rogare, documenta & ſcripturas, fideliter conſcribere, & originales conſeruare; b De mercede autem ſibi pro documentis ſoluẽda, cum Taxæ Curię Capitol. non ſit ſuppoſitus, nequè de ſuis mẽbris dicatur, vt in cap. ſecundo retuli; ideo Sanctiſſimus Dñs N. PIVS IIII. in Tribunalium Vrbis reformatione, nè Notarii in exigendis pecuniis, pro eorum mercedibus, metas rationis excedant, c ſtatuit Notarium huius Magiſtratus ſub taxa Notariorum Reuerendiſs. D. Almæ Vrbis Gubernatoris exiſtere, ideoquè à Capitolinis Notáriis differre dicimus, cum illi ad eorum Officiũ gratis aſſumantur. Vbi verò penès hunc Notarium cedula bancaria depoſiti qualemcumquè ſummam continens, pro domo retrahenda, in vim Sixtinæ & Leoninæ Bullarum deponeretur, nõ conuenit vt ſibi de mercede ſolita, ſoluenda ad rationẽ tot pro centenis aureis, ſoluatur, ac ſi actualiter pecuniæ deponerentur; cum id, ratione pecuniarum cuſtoditarum, & ob fortunæ dubiũ, earumquè forſan amiſsionem, factum eſſe dicitur, quod ſecus erit in cedula, quæ ſi amitteretur, refici poteſt; vt idem dixi in eodem Iuris Protomiſ. Tractatu; d Patronum verò cauſarum inter præfatum Officium & quẽlibet alium vertentium, rerumquè & Iurium publicorum occupatores, ſolet idem Magiſtratus, quem voluerit, conſtituere, vt eædem cauſæ à Magiſtratu expediantur, contrauenienteſquè in pœnas incidiſſe declarari, ac indè exequi, curet & faciat (vt Fiſcalis) Iuraquè, & actiones eiuſdem Magiſtratus, quò ad priuilegiorum & iuriſdictionum manutentionem, coram quibuſcumquè aliis Tribunalibus, etiam S. R. E. Cardinalibus, & Pontifice, ſi opus erit, defendendo, etiam cum Aſſeſſore in Iure allegando, & poſtulando.

b c. quoniam de proba.

c ſ. notariũ in c. ſtatutum, de reſcrip. in vi.

d in. ſ. xi. iu. 1. not. nu. 2.

CAP.

CAP. QVINTVM.

DE PERITIS, ARCHITECTIS, GEOMETRIS, EIVSDEM MAGISTRATVS, SVBMAGISTRI NVNCVPATIS.

ASSOLET idem Magiſtratus, vt de rebus ad ipſum ſpectantibus facilius cuicunquè petenti, non ſolùm vt Iuris eſt, ſed etiam de ſtilo & conſuetudine reſpondere, ideoquè Quatuor ſeù plures peritos penès ſe retinet, quos vulgus Submagiſtros vocat, quaſi ſub ipſis DD. Magiſtris exiſtant, qui eorum peritia ac exercitatione ad loci differentiæ inſpectionem, cum Magiſtratu accedunt, eorumquè Iudicium præbent; Et licèt Magiſtri à Pontifice annuatim electi, ad eorum libitum alios Submagiſtros deputare poſſint, nihilominus iidem ferè à nouo Magiſtratu quàm libentiſſimè recipi ſolent, vt ob eorum longum experimentum ſemper Succeſſores in Magiſtratu (vt facit Aſſeſſor) informare valeant, licèt Magiſtri quandoquè & alios inſimul cum illis reſpectiuè eligant, & confirment, ità vt ſi tales nouiter periti electi, periti ſunt. Magiſtratui indè inſeruientes, peritiores fiunt; Quorum cura eſt, vt diſtantiam vnius muri, vel loci ad alium, ac longitudinis, latitudinis, & profunditatis menſurationem, aliamuè ędificiorum, domorum, parietum, fundamentorum, putei, ſtillicidii, tecti, aliorumquè operum conſtructionem, reparationem, bonitatem, & qualitatem referant; modumquè inueſtigare ſolent vnà cum Magiſtratu, nè (ſi fieri poteſt) ſuper re, de qua quæſtio ſit, vicino damnum inferatur, quibus quandoquè ſtandum eſt; a ac pro quota parte, ſi paries, puteus, vel alia res communis inter vicinos fuerit contribuere iidem vicini pro reparatione teneantur; in quibus ſtilum inſimul monſtrant, ac declarant. Et quandoquidem ipſi ſoli, vel ipſorum pars à Magiſtratu ad eadē loca inſpicienda pro qualitate tamen

a §. quod autē in auctē. de nō alie. ſup. alleg. & d. §. præterea Iſt. de re. diuiſ.

men cauſæ, vt indè referant, deſtinantur; vt hoc idem etiam Epiſcopi, & Archiepiſcopi impediri facere ſolent, qui pro Eccleſiarum viſitatione, alium, loco ipſorum deſtinant; b Vnde dignoſcitur Iudicem poſſe quandoquè iuxtà conſcientiam, ac iuxtà ea quæ viderit, iudicare. c Solent etiam ii eligi (ſicut & alii qui Submagiſtri non ſunt) ad inſtantiam partium collitigantium, communiter, vnus pro qualibet, vel à Magiſtratu, ſi vna ipſarum eligere non curauerit, d in materia Iuris Protomiſ. pro æxtimandis locis retractis, ſiue de proximo retrahendis, certa mercede eis ſoluta, & de retractis ſiue retrahendis dixi, quia & antè Sententiæ prolationem domus, & locus æxtimari poteſt, ibiquè precium certũ tunc imponitur, ac etiam poſt ipſam Sententiam æxtimatio quandoquè fit; quo caſu idem locus pro precio æxtimãdo aſsignatur, inualuitquè iſte ſecundus modus, vt occaſio ad Vrbis ornamentum, & retrahentis commoditatem ædificandi, non protrahatur; cum ſi collitigans à Sententia reclamare voluerit, cohereceatur vt citius quàm fieri poſsit, id agat. Si verò æxtimatores à partibus electi, diſcordes eſſent, conſueuit Magiſtratus qui Tertius in æxtimatione reputatur, ex Bullæ Sixti diſpoſitione, e eligere vnum ex ſuis Submagiſtris, quem voluerit, ex Officio, abſquè Notarii rogitu, ſed voce & ſinè ſcriptura, qui viſa duorũ electorũ relatione, loco petito, & cõſideratis conſiderãdis, Magiſtratui ſuã opinionem refert, qui deindè habito dictorum duorum peritorum, & alterius periti iudicio, in Sententia precium exprimere ſolet, id ſcilicèt, quod magis ei congruum & iuſtum videbitur, arbitrio ſuo, circumſtantiis vniuerſis benè penſitatis, quia precium pluribus modis conſideratur in Bulla, vt iuſtum, iniuſtum, rationabile, & iuſtum & rationabile ſimul, vt retuli in dicto Tractatu. f Sed an ſuper eorum relatione & iudicio, vel æxtimatione, de fideliter referendo iuramentum præſtare teneantur, & æxtimationẽ corrigere poſsint; & in iis remitto ad ea quæ dixi in eodem Tract. g Vbi verò Vias ſtratare, & lateribus pauimentare oporteat, ſolet Magiſtratus, Viis prius diuerſis murariis per Literas Patentes diſtributis, etiam eaſdem Submagiſtris conſignare & diuidere, vt vnus in vna, ſeù pluribus Viis, aliuſuè in aliis, vt ibidem ſæpe accedentes operarii rectè ac fideliter conſtruant, vt hoc idem in alio opere & ædificio publico ſeruatur ac quandoquè in appaltum cõceditur; deindè menſuram conficiunt, vt indè eiſdem operariis de eorum iuſta mercede, & debito, à conuicinis, ac ab iis ad quos ſpectat, ſatisfiat: Domini verò domorum denuò menſurã

b c. decreuimus cum glo. x.q.i.

c vt glo. in. c. quia iudicãte, de reſcrip.

d ad not in.l. ſiquis, in fi. C. fin.regun.

e in.§.1.in fi.

f in.§. 7. in. 4. not.nu,9.

g Poſt.§.fi. ſug Quæſt. in Q. 5.

cupientes, ad euitandam fortè erroneam menſuram, vel iniuſtã, vel ſi ex eorum materia alios operarios conducere voluerint, poterunt: dummodo cum Magiſtratus ſcientia (propter liuellum ſeù pendentiam Viæ relinquendam) hoc agant. Quando verò Magiſtratus pro aliqua Via, & Platea publica amplianda, vel noua conſtruenda, iactum, ruinamquè, vel domorum demolitionem facere intendit, ſolet extenſo filo per oblongum, per ſuos Submagiſtros, in loco per Magiſtratum ordinato, hoc agi; Iectitumquè indè deliberatur, & eiſdem Peritis, Architectis, & Submagiſtris, æxtimatio damni, facienda committitur, vt exindè liſta in ſcriptis diſtinctè redacta (quam taxam vocant) conficiatur; ac eadem à Domino Viarum Præſidente, à Magiſtratu, & à Capite Regionis illius, vbi Iectitum fieri contingat, diligenter animaduertitur, ab eis ſubſcribitur, Notario emologanda & regiſtranda traditur, indequè alicui Magiſtratus Commiſſario exigenda conſignatur, pecunia exacta penès Depoſitarium generalem deponi committitur; ac per Mandata à Præſidente, & Magiſtratu ſubſcripta, à Computiſta regiſtrata, Depoſitarioquè directa, creditoribus ſolui mandatur, vt ex ſequentibus Capitulis colligetur. Cui verò Via antiqua & deſtructa, dari, & menſuratio quomodo per Geometras fieri debeat, quotuplex ea ſit, & differentiam inter Viam & Stratam, & alia, retuli in eodem Tractatu. i Filum quoquè iidem Submagiſtri lineámquè rectam oſtendunt, de Magiſtratus commiſſione, vbi, & quando quis ab eodem licentiam ædificandi in Solo Publico voluerit atquè deſideret, ac per Literas Patentes eandem licentiam obtinuerit, nè propria ſua auctoritate locum Publicum occupet, k aliàs vt cæteris tranſeat in exemplum, ab eodem Magiſtratu, ædificatum, deſtruendum eſſet.

h L.i.ff.ſi men. fal.mo.dix.

i inſ.i.in.i.no: ſub nu. 1. &.5.

k ſ deinde cõ pœtens .5. cum glo. in verb. domum, in Authen. de mãda. prin.

CAP. SEXTVM.

DE DEPOSITARIIS

DE DEPOSITARIIS MAGISTRATVS, ET COMPVTISTA.

MAGISTRATVS, plures Depoſitarios habet; Vnum Generalem, pro deponendis penès ipſum, pecuniis, in Viarum & Platearum Publicarum ob Iectitum & taxam impoſitam exactis; ac pro Viis Vrbis, Curribus ſeù Carretulis, purgandis, qui ſolet idem Depoſitarius honorandus quidem eſſe, ac fide & facultatibus idoneus, ad cuius manus conſueuerunt annuatim pecuniæ ad ſummã Quinquaginta millium Aureorum aſcendere, plus minusuè iuxtà quantitates & qualitates Viarum, & Platearum ampliãndarum, ſiue de nouo conſtruendarum, & aliorum Pub. ædificiorum; Sed tempore San ctiſſ. D. N. PII, IIII. ad octuaginta, & vltrà in annum aſcẽdidit: qui, non niſi cum mandato, manibus Viarum Pręſidentis & eiuſdem Magiſtratus munito, pro tali Via alicui ſoluere ſolet: ad introitumquè & exitum in ſuis Libris ponendo, ſua computa deindè redditurus, qui more Depoſitariorũ de depoſito tenetur, a mandataquè antequàm ad ipſius manusperueniant, à Computiſta eiuſdem Magiſtratus deputato, in ſuis Libris regiſtrantur, vt indè quandocunquè pecuniarum ſumma à Camera Apoſtolica & Magiſtratu ſciri poſſit: cuius Computiſtæ etiam cura eſt, modum debitorum frequenter ingerere & inquirere, computare, ac Magiſtratui referre. b Alios quoquè Depoſitarios particulares Magiſtri creant, & conſtituunt, pro aliis ædificiis conſtruendis, quæ minoris conſiderationis fuerint, vt vnus Depoſitarius pro vnius domus, vel duarum diruptione, vt fortè in angulo Viæ, ac extrà filum exiſtentium, alius verò pro aliqua cloaca publica reparanda, vel noua conſtruenda, ſeù quid aliud ſimile; & tũc per mandata ſimiliter pecunia ſoluitur, ii etenim Depoſitarii pariter fideles & Nobiles, vt modò vnus in vno negocio, modò alius in alio, à Magiſtratu eliguntur. Habet quoquè alium Generalem Depoſitariũ in altero negociorum genere ad cuius manus

a vt in tit.ff.de poſiti.

b ad not. per glo.l.ii.C.de iure fiſ.lib.x.

manus ſolent peruenire pecuniæ pro pęnis & contrauentionibus impoſitæ, ac aliis rebus ſolitis, qui diebus Iuridicis hora Audientiæ ad Magiſtratus Tribunal comparet, & pro negociis ad ſe ſpectantibus, aſſiſtit.

CAP. SEPTIMVM.

DE COMMISSARIIS MAGISTRATVS.

COMMISSARII ſuper exactionibus plures (iuxtà neceſſitatem) à Magiſtratu, cum cautione de fideliter adminiſtrando, exigendo, & computa reddendo, creantur; vt ſi taxa pro aliqua Via conſtruenda fiat, ſuper ea Commiſſarius deſtinatur, proùt iã Vnus pro Via Flaminia, alius pro Pia, aliusquè pro altera S. Ioannis, & ſic de cæteris, electus fuit; vnuſquiſquè deindè plures Subſtitutos, ad libitum, eligit eos, in Terris, Caſtris, Communtiatibus, & aliis circumuicinis locis deſtinando, vſquè ad Quadraginta miliaria, & vltrà; cum Communitates in iis teneantur contribuere, a iuxtà tamen Patrimonii facultatem; b & vnus iſtorum in vna, alter in alia parte accedens, ad exigendum, Depoſitario Generali pecunias deponit, deindè & ipſe ſuo principali Commiſſario, & ambo exactionem in ſcriptis, ad libitum Magiſtratus oſtendere tenentur. Sed quomodo Taxa fiat, & quis debeat pro Via contribuere, ſiue intus ſiue extrà conficiatur, dixi in eodem Tractatu. c Idemquè ordo ſeruari ſolet in taxis pro Stratis intrà Vrbem exiſtentibus, cloacis, aliiſquè impoſitionibus publicis, vt exactionibus apothecarum, pro Vrbis expurgatione, pro qua vnus Commiſſarius & exactor à Magiſtratu, & vnus Cuſtos ſeù prępoſitus Carrettarum Populi Romani nuncupatarum, ad eandem expurgationem in quodam ſufficienti numero exiſtẽtium, eliguntur; iuxtà ordinationem Iulii Papæ III. in ſuo motu proprio Super expurgatione Vrbis, edito, & inferius exemplato.

a arg.l.ii. verſ. viarum. ff. ne quid ĩ lo. pub.
b l.per bytiniã C.de immunit. nem. concede. lib. x.
c in d.ß.i.in. i. not.nu. 3. cum duobus ſeq.

CAP. OCTAVVM ET VLT.

DE DELATORIBVS, MANDATARIIS, ET EXEQVVTORIBVS MAGISTRATVS.

HABET inſuper Magiſtratus Delatores duos, & totidem Mandatarios, pro citationibus exequendis; licèt quandoquè omnes Mandatarii Capitolini huic Officio deſeruiant, ad libitum Magiſtratus; Exequutoremquè vnum ſiue Compulſorem habet, a cum tribus famulis, pro exequendis Decretis, Sententiis, ac Mandatis, ab eodem Magiſtratu emanatis & latis, pro contrauentionibus, & taxis, per realem & perſonalem diſtractionem, vt neceſſitas exigit, qui ſi quandoquè ii quatuor non ſufficiant, cæteris Vrbis Exequutoribus committitur. Cura verò Delatorum eſt in ſcriptis occupatores loci & ſoli Publici b denunciare, immunditias inueſtigare, & eas proicientes, notare, Notarioquè omnia porrigere, ac Mercatores & Artifices cum mercibus, Viam extrà menſuram ſolitam occupantes, manifeſtare. c

a ut.l.ii. C. de apparitor. præfec. an.lib.xii.

b dicto.§.deinde, cum glo. in auſten. de mãda.prin.

c.ad no.in.l.lectos, per illum tex. ff. de peri. & com.rei uendi.

QVAE omnia, & alia, magis in actu edocet praxis, quàm ex eorum particulari narratione percipiantur: ideoquè nõ omnia ad vnguem conſcr:pſi, ſed hæc breuiter ſolùm notare volui: cum ex Fori frequentatione, & hæc, & omiſſa, quilibet melius ſcire atquè dignoſcere poterit. Ideo ad Facultatum recolectarum Exempla, eiuſdem Magiſtratus promiſſa, deuenio.

Facultates

FACVLTATES

MAGISTRATVS CVRATORVM VIARVM, AEDIFICIORVMQVE PVBLICORVM, ET PRIVATORVM ALMAE VRBIS,

Tàm in forma Bullæ, quàm Motus proprii, & aliarum Literarum, à diuerſis Pontificibus conceſſæ,

Iuxtà Pontificatus ac temporis ordinem conſcriptæ, & annotatæ; quæ actenus omnes non reperiebantur impreſſæ.

BVLLA MARTINI PAPAE V.

Super Deputatione, Suſcitatione, Renouatione, Reintegratione, Reſtitutione, Conceſsione, & Ordinatione Officii Magiſtrorum, ſeù Curatorum Viarum, ædificiorumquè Publicorum & Priuatorum Vrbis; iuxtà antiquam inſtitutionem.

MARTINVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

Princ. DILECTIS Filiis Nobilibus Viris Baptiſtæ Petri Matthæi, & Bocio de Stinchis, Ciuibus Romanis, Viarum Vrbis Noſtræ Rom. Magiſtris, Salutem &c. SI IN cunctarum Orbis Prouinciarum, iuxtà commiſſum nobis deſuper Officium, decore atquè florentia delectemur, dignùm tamen (nõ immeritò) reputamus & congruum, vt Vrbis noſtræ Rom. quam Princeps Apoſtolorum Petrus, & in ſortem ſimilem vocatus Paulus, Fidei Orthodoxæ Cardines, aliiquè victorioſi innumeri Martyres, ſui ſanguinis aſperſione inũdarunt; amplior nos cura perſtringit, vt Vrbs ipſa, quæ Diuinis &

& humanis Legibus per anteà floruit, illiusquè Diſtrictus, noſtris in temporibus, Diuina fauente Clementia, bonis aſſurgat moribus, & ſalutaribus, in anteà ſucceſſoribus commendetur. CVM ITAQVE (ſicut rei euidentia palàm edocet) Vrbis, Diſtrictusq; Primus.§. præfati, quos Paterno amplectimur affectu, ex defectu Officii Magiſtrorum (quod antiquitus per Viarum, Stratarum, Platearum, & locorum aliorum, tàm Publicorum, quàm Priuatorum, nec non ædificiorum lapideorum, & ligneorum, parietum, tignorum, banchorum, tectorum, tabulatuum, mignanorum, apothecarum, & pontium, portarum, paſſorum, aquarum decurſuum, canalium, & meatuum, nec non Vrbanorum & ruſticorum prædiorum, pratorum, hortorum, atquè Vinearum, finium reſtaurationem, ſeruitutum, & libertatum adminiſtrationem, inſtitutum & ordinatum extitit) in præmiſſis, & eorum ſingulis, grandem deformitatem, ſeù ruinam, potius abhominabilem patiantur, & iacturam. ET SICVT accepimus, nonnulli Secundus.§. ex Ciuibus, habitatoribus, & incolis Vrbis, & Diſtrictus prædicti Macellarii, v3., Piſcarii, Sutores, Pelamantellarii, diuerſiquè Artifices, loca ac etiam ergaſteria Vrbis inhabitantes, ſuasquè inibi artes exercentes, viſcera, inteſtina, capita, pedes, oſſa, cruores, nec non pelles, carnes, & piſces corruptos, resquè alias fetidas, atquè corruptas, in viis ſtratis, plateis, & locis Publicis atquè Priuatis huiuſmodi proiicere atquè occultare; Non nulli etiã ex Ciuibus habitatoribus, & incolis eiuſdem (quos æqua fatigat ambitio, & repudianda conducit temeritas) mala malis inuenientes, Vias, Stratas, Plateas, loca Publica & Priuata, Eccleſiaſtica auſu temerario atquè ſacrilego occupare, diripere, alienare, & in vſus proprios deducere, de illis quoquè, pro ſuo nutu diſponere, nõ verentur: Intelligere nolentes quantum huiuſmodi ſuos exceſſus humanorum corporum Sanitatem, aeris puritatem, & Animarum Salutem impediat. NOS igitur, præmiſſas deformitates, Tertius.§. & exceſſus huiuſmodi ſub diſſimulatione vlterius præterire non valentes; Attendentes propterea (quod in eadem Vrbe, multo temporis decurſu, neglectum fuit) in vſum plurimum pululaſſe, & præmiſſis incommodis poſſetenus occurrere, cupientes; Officium Magiſtratus huiuſmodi iuxtà illius antiquam inſtitutionẽ, Auctoritate Apoſtolica renouamus, ſuſcitamus, & reintegramus, atquè reſtituimus, vobis quoquè, quos noſtros, & Vrbis prædictæ zelatores, exiſtere non ambigimus, quoſquè Fides, Legalitas & Prudentia, circumſpectio, atquè multiplicia Virtutum merita

tita, apud nos efficaciter recommendauit, Magiſtratus Officium huiuſmodi, vſquè ad noſtrum beneplacitum, cum ſolitis ab antiquo iuriſdictionibus, poteſtatibus, honoribus, priuilegiis, libertatibus, atquè omnibus vniuerſis, & cum poteſtate ad opus veſtrum quoties & iuxtà modum, qui vobis videbitur, Submagiſtros faciendi, & ordinandi, eadem auctoritate conferimus, & de illo etiam vobis peouidemus, vos quoquè in præmiſſis & ea quomodolibet concernentibus ac ab illis dependentibus, & eis annexis, Magiſtros facimus, conſtituimus, ordinamus, & etiam deputamus, vt exindè omnes & ſingulas deformitates, exceſſus in præmiſſis, vel circà ea, pro tempore quomodolibet occurrentes, abſquè cuius uis vocatione, ſeu citatione, ſed per Viam Regiam, iuxtà datam vobis à Domino prudentiam; etiam per demolitionē quoruncumquè ædificiorum, aut rerum aliarum, ſeu modū alium, quæcunquè reparandi, corrigendi, & commendandi, nec non præmiſſorum, ſeu eorum occaſione grauatos, vt præmittitur, abſquè lite, ſed ſummariè, ſimpliciter, & de plano, opponere, ſeu contradicere, aut quacumquè temporis etiam centennali pręſcriptione, legibus, & conſuetudinibus generalibus, quibuſcunquè cæteriſquè contrariis non obſtantibus releuandi, reſtituendi, & etiam reponendi; contradictores quoquè quoslibet & rebelles priuandi, bandien. arreſtandi, incarcerandi, atquè omnia & ſingula faciendi & exercendi, quæ Magiſtri prædeceſſores veſtri, qui fuerunt pro tempore, facere, gerere, & exercere, potuerunt ſeù etiam debuerunt, vobis, huiuſmodi durante beneplacito; Mandatum damus, ac etiam poteſtatem. Et vt Officii ueſtri huiuſmodi liberior & facilior ſit exercitatio, Nardum, de Buſtachiis Procuratorem, nec non ipſum & Nicolaum de Mutiis, Nobiles viros Ciues Romanus, Notarios veſtri Officii eadē auctoritate facimus, & ordinamus. MANDANTES exindè

Quartus.§. omnibus & ſingulis noſtri Capitolii Mareſcallis, cæteriſquè Officialibus, vt Vobis, & Submagiſtris veſtris, atquè veſtrum cuilibet, in ſimilibus quæ veſtri exercitationem Officii concernunt, pareant, & obediant, pariter & intendant, Inſuper quaſcūquè excommunicationis, aut interdicti ſententias, pœnas, & mulctas, aliàs per Nos, ſeu prædeceſſores noſtros, in Magiſtros pro tempore exiſtentes, forsàn promulgatas, quarum formam, & tenorem præſentibus haberi volumus pro expræſſis, Auctoritate prædicta caſſantes, & irritantes. Vobiſquè, vt occaſione per vos, in veſtro Officio factorum, ordinatorum, ſeù quomodolibet adminiſtratorum

miniſtratorum, aut quauis occaſione gerendorum, fiendorum, ſeù adminiſtrandorum, nullibi locorum in cauſam trahi, ſindicari, aut aliàs quouis modo per quemcunquè, etiam Auctoritate Apoſtolica, moleſtari valeatis, eadem Auctoritate concedimus. ANTEDICTIS Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non Statutis, & conſuetudinibus Vrbis, cæteriſquè contrariis non obſtañ. quibuſcunquè, decernentes exindè irritũ & inane quicquid contrà præmiſſa, ſeù aliquod præmiſſorum à quoquàm, quauis Auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ reuocationis, deputationis, ſuſcitationis, reintegrationis, reſtitutionis, prouiſionis, conceſsionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ Apud Sanctos Apoſtolos Secundo Calendas Aprilis, Pontificatus Noſtri, Anno Octauo. Sextus. ſ.

A. de Carbonibus.

R. Lib.III.fol.112

DECRETVM

L. CARD. Aquilegien. S. R. E. Camerarii, directum Senatori, Conſeruatoribus, & aliis &c. Vt aſsiſtant, & Magiſtratui in omnibus faueant.

VOBIS Senatori, Conſeruatoribus, Mareſcallis, cæteriſquè omnibus & ſingulis Officialibus Almę Vrbis, ad quos ſpectat ſeù ſpectare poterit, de Mandato Sanctiſſ. D. N. PAPAE viuę vocis Oraculo nobis facto, & Auctoritate Noſtri Officii Camerariatus, tenore præſentium mandamus, quatenus in omnibus, & per omnia, fauere, & aſsiſtere debeatis Curatoribus Viarum, ac Stratarum Almæ Vrbis, in iis maximè quę fienda erunt pro dictæ Vrbis ornamento, & pertinere videbuntur ad Officium eorumdem: In cuius fidem præſentes fieri fecimus, & noſtri conſueti Sigilli impreſsione iuſsimus communiri. Datum Romæ Die vii. Septembris MCCCCLXXIIII.

F. Guarnerius

Honofr. Lil. Not. Magiſt. Regiſtraui in lib. Stat.

CONFIR. STAT. ET CONSTIT. MAGISTR.

Anno Dñi M C C C C L X X X. Die decima Ianuarii, tempore Sixti Papæ iiii. fuerunt confirmata Statuta & Conſtitutiones Magiſtratus (vltrà alias antiquiores Conſtitutiones) de quibus omnibus particulariter in eiuſdem Magiſtratus Libro Stat. apparet: ac dicta die Guil. de Stoutenuil Epiſcopus Oſtien. tunc S. R. E. Camerarius, ex commiſſione Viuæ vocis oraculo facta, vltrà confirmationem Stat. &c. Statuit, & ordinauit, v3.

Hæc facultas eſt nouiter conceſſa per Motus proprios Alex. vi. & Pauli iii. Pont. infrà notatos.

QVOD omnes & ſinguli Clerici, ſiue Romani, ſiue Forenſes, ſiue Curiales, ac etiam omnia & ſingula Monaſteria, Eccleſię, Vniuerſitates, ſeu pia loca, cuiuſcunq; ſtatus, gradus, ordinis, ſeu conditionis exiſtant, poſſint ex quacunq; cauſa ſiue occaſione de rebus ſpectantibus ad Officiũ præfatorum Magiſtrorum conueniri, coràm præfatis DD. Magiſtris; & quòd eorum Iuriſdictioni ſubiaceant, nec poſſint aliquã declinatoriam Fori allegare, virtute quarumcunq; immunitatũ Eccleſiaſticarum, Monaſteriorum, Priuilegiorum eiſdem conceſſorum, tàm ex diſpoſitione Iuris quàm etiam per Indulta Apoſtolica, ſiue alio quocunquè modo, quibus ſingulis immunitatibus, Indultis, & Priuilegiis, ex cõmiſſione & auctoritate quibus ſuprà expreſsè derogauit, ipſaq; quò ad p̃dicta annullauit & irritauit; Nõ obſtante forsàn q; de prædictis fienda eſſet mentio ſpecialis in ipſorum reuocatione, ſeù derogatione, ſupradictis omnibus & ſingulis cæteriſq; aliis, de quibus ſimiliter etiam ſi eſſet ſpecialis mentio facienda, non obſtantibus: Mandauitq; mihi Notario, & teſtibus infraſcriptis, vt de omnibus & ſingulis ſupradictis, ſimul cũ dictis teſtibus deberem eſſe rogatus, & de prædictis deberem Publicum conficere Inſtrumentum.

Actum Romæ in Camera ſupradicti Reuerendiſſ. D. Camerarii, pręſentibus &c.

Franc. de Taſchis. Not. Magiſtr.

BVLLA SIXTI PAPAE IIII,

De ædificiis, & Nouis Operibus conſtruendis, ad decorem Vrbis.

SIXTVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ET Si de cunctarum Ciuitatum, Temporali Dominio &c.

HANC Bullam conſcripſi, & regiſtraui in Principio mei Tractatus Iuris Protomiſeos, cum, eundem Tractatum, ſuper eam, eiuſquè interpretationem ediderim. Confirmata à Leo. Papa x. vt infra.

ALTERA BVLLA EIVSDEM SIXTI.

De facultate teſtandi, & diſponendi de Palatiis, & aliis ædificiis &c.

SIXTVS &c. Ad perpetuam rei memoriam.

ET Si vniuerſis Romanę Eccleſiæ &c.

HAEC Bulla, licèt ornamentum Vrbis reſpiciat, cum in ea Curiales ad ædificandum, & de ædificatis diſponendum alliciantur, nihilominus quia Facultates Curatorum Viarum non tangit, ideo hac ratione omiſſa.

LICENTIA, CARD. S. R. E. CAMERARII.

Eidem Magiſtratui conceſſa, vt in cauſis in vim Sixtinæ, & Leoninæ Bullarum, procedatur per Magiſtratum abſquè Camerario.

RAPHAEL S. Georgii Diac. S. R. E. Card. S. D. N. Papæ Camerarius. CVM præfatus S. D. N. ex Bulla Apoſtolica Nobis & Magiſtris ædificiorum & Stratarum Vrbis, ad requiſitionē Dominorum domorum quarum porticus, proſella, ſeù alia ędificia, pro Viis, ſeù Plateis, & aliis locis Publicis eiuſdem Vrbis hactenus diruta fuerint, & dirui contingent in futurum, quandocunquè de Mandato Magiſtrorum eorumdem, ſi Domini prædicti in domibus ipſis inhabitare ſoliti èrant ante demolitionem, & tempore demolitionis huiuſmodi factæ & quam fieri contingerit in futurum, abſq; dolo &

Hæc facultas in cauſis Iuris Protomiſ. ſeruatur vſquè ad ſententiā excluſiuè, vt dixi in Tract. Iur. Protomiſ. in Prohem. nu. 5.

fraude inhabitabant, & in poſterũ inhabitabunt, & propter huiuſmodi demolitionem iam factam, & quæ fieret, domus ipſæ effectæ ſint & efficerentur in poſterum per eorundem Dominorũ ipſarum commoda receptione & inhabitatione incapaces: ſintq; iuxtà eas aliquæ domus per earum Dominos minimè habitari ſolitæ, ſed pro earum annua reſponſione, vel aliàs locari conſuetæ ex quarum coniunctione cum domo huiuſmodi ſic incommoda effecta Domino domus ſic incommodæ effectæ, aduerſus incommoditatẽ huiuſmodi ſubueniri valeat, teneremur & deberemus compellere illos, ad quos domus ipſas ſic vicinas legitimè pertinere nobis conſtaret, etſi ad Eccleſias & Monaſteria, tàm virorũ quàm mulierum, ordinum quorumcunquè, etiam exemptorũ, nec non Beneficia Eccleſiaſtica, Hoſpitalia, ac loca pia pertinerent, ad vendendum eaſdem domos vicinas, quas inhabitari ſoliti non ſunt, dominis domorum contiguarum, quas ſic effectas incommodas eſſe cognouerimus, pro precio per duos probos viros & expertos, per vtramquè partem eligendos determinando, ac declarando; ſi verò ii duo concordes in aſsignando precio non eſſent, Nos Camerarius & Magiſtri ędificiorum, habito ipſorum duorum iudicio, precia eadem imponere & aſsignare haberemus, prout ſerioſius in eadem Bulla continetur.

Nosq; Camerarius præfatus, ob maiores & magis arduas occupationes, in prædictis & circà prædicta, in præſentiarum vacare minimè poſſumus, ea propter Vobis Magiſtris ędificiorum iam dictis plenam licentiam liberamquè poteſtatem, ac facultatem abſquè noſtra præſentia, id, iuxtà tenorem eiuſmodi auctoritatis exequendi, ac ſi in omnibus & per omnia perſonaliter intereſſemus, damus, concedimus, & impartimur: Quibuſcunquè in contrarium facientibus non obſtantibus. De mandato præfati Sanctiſſ. D. N. ſuper hoc viuæ vocis oraculo nobis facto, in quorum omnium fidem & teſtimonium, has præſentes Literas per infraſcriptum noſtrum Secretarium ſubſcribi fecimus, & noſtri quo vtimur Sigilli iuſsimus impreſsione communiri.

Datum Romæ apud S. Apollinare, Anno Domini Millesimo CCCCLXXXIII. Die prima menſis Iulii Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris & Domini Domini Noſtri Domini Sixti Diuina prouidentia Papæ Quarti Anno eius duodecimo.

Aliud

ALIVD DECRETVM.

Et licentia eiuſdem Camerarii, præſtandi Vota inter Magnificos DD. Curatores Viarum, in cauſis inter eos vertentibus.

SICVT Nobis expoſitum fuit quòd cauſæ quæ Iudicio Magiſtrorum Stratarum & ædificiorum Vrbis terminandæ ac diffiniendæ ſunt, non nunquàm propter abſentiam alterius ex duobus Magiſtris, qui aliis plerumquè negotiis, etiam ad Officium pertinentibus, ad Capitolium, ſolitumquè eorum Tribunal venire, & intereſſe non poſſunt, & expeditiones retardantur: Quo circà, nè id, de cæterò contingat, & vt celerius omnes dictæ cauſæ tàm pendentes quàm futuræ expediantur: De Mandato D. N. Papæ nobis ſuper hoc viuæ vocis Oraculo facto, ac noſtri Camerariatus Officii auctoritate, plenam illis damus & concedimus facultatem, vt habito voto Collegæ, de quo appareat in actis Notarii, & Aſſeſſoris Conſilio interueniente, ſi Aſſeſſor adhibitus interuenerit, vnus tantùm ex dictis Magiſtris, qui ad Tribunal venerit, quaſcumquè Interloquutorias, & Diffinitiuas, ſeù mixtas Sententias in quibuſcumquè cauſis, præſentibus, pendentibus, & futuris, ferre & promulgare, ſolus, poſſit & valeat: Quas Sententias ſic per vnũ ex Magiſtris, vt præfertur, latas, perindè valere decernimus ac ſi ambo in promulgando & pronunciando interueniſſent; Dictaq; ex cauſa quòd vnus tantùm interuenerit, nullatenus infringi, aut impugnari poſſe nec debere. Legibus, Statutis, conſuetudinibus, cæteriſquè in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumq;: Quibus, quò ad effectum huiuſmodi dumtaxat, quà tenus aduerſentur, ex certa ſcientia derogamus. Datum in domibus noſtris, ſub anno Domini MCCCCXCVI. Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris D. N. D. Alex. Diuina Prouidentia Papæ VI. Indictione XIIII. Menſis Ianuarii Die XXIII.

Gisbertus Senilis.

BVLLA ALEX. PAPAE VI.

De facultate teſtandi, & diſponendi de Palatiis, & aliis ædificiis, extrà Vrbem, intra decem miliaria.

ALEX.

ALEXANDER &c. Ad perpetuam rei memoriam.

EA QVAE à prædeceſſoribus noſtris &c.

HAEC Bulla quia eſt confirmatoria alterius Bullæ Sixti iiii. ſub Rub. de facultate teſtandi, & diſponendi de Palatiis, & aliis ędificiis &c. de qua ſuprà mentio facta fuit, ſimiliter eundem Magiſtratum non tangit, licèt ornamentum reſpiciat, ideò omiſſa.

MOTVS PROPRIVS EIVSDEM ALEX.

Concernens auctoritatem eorundem Curatorum, ſub Anno Domini MCCCCXCV, die ſecunda Menſis Aprilis, Anno eius tertio.

MOTV Proprio &c. Vobis Dilectis filiis Camillo de Benè in benè, Legum Doctori, & Petro Matutio, Romanis Ciuibus, Magiſtris ædificiorum & Stratarum Vrbis. De veſtra integritate & diligentia non parùm in Domino confidentes; Veſtram Iuriſdictionem ac poteſtatē quàm circa ædificia Publica & Priuata, ac ſuper Stratis & Viis, tàm Publicis quàm Priuatis, & Vicinalibus, in Vrbe & extrà menia Vrbis habetis, ad huc ampliare & magis extendere volentes: STATVIMVS quòd in omnibus cauſis con trà omnes, tàm Laycos quàm Clericos, etiam ad pia loca & Eccleſias, ac Monaſteria pertinentes, ad quorumcumquè petitionem, ſeù quærelam, ſiue ad denunciationem, & ex veſtro mero Officio, non ſolùm ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſicut haſtenus ſecundum veteres conſtitutiones, & prædeceſſorum noſtrorum Decreta (quæ omnia quò ad prædictam formam procedendi ex certa ſcientia noſtra, ac Noſtræ Sedis Apoſtolicæ auctoritate, approbamus & confirmamus) procedere poſſitis & valeatis, & per ſolam ipſorum locorum inſpectionem, examinatis teſtibus in loco, & partibus præſentibus illas terminare & diffinire, ſed etiā per viam Præceptorum & Mandatorum pęnalium, ſimiliter procedere, & contrà inobedientes & cōtumaces ad exequutionem dictorum Mandatorum & pęnarum, in eis comminatarum, pro veſtro arbitrio deuenire valeatis. ITA tamen quòd in cauſis Clericorum, & Eccleſiaſticarum perſonarum, ſi petitum fuerit,

Primus. §.

Secundus. §.

indecidendo

indecidendo tantum, Venerabilis Frater Noſter in Spiritualibus Vicarius, vel eius Locum tenens interuenire poſſit, & debeat: CONCEDIMVS præterea, vt in omnibus cauſis prædictis, præſentibus, & futuris, tàm inceptis, & pendentibus, quàm etiam inchoandis, cuiuſcumquè æxtimationis & qualitatis fuerint, abſquè alio Conſultore ſiuè Aſſeſſore, niſi ſpecialiter & expreſsè ab aliquo ex litigatoribus petatur, ad terminationem & diffinitionem, & ſententiarum promulgationem, ſimiliter procedere & deuenire valeatis: Veteri Statuto diſponente quod in cauſis excedentibus ſummam vigintiquinq; Librarum Conſultor eligi, vel cum conſilio Aſſeſſoris per Magiſtros Deputandi, terminari debeant, non obſtante; Quod etiam perpetuò obſeruari volumus quotiens contingat Iuris peritos in eo Officio deputari. Tertius.§.

AMPLIVS, etiā vobis concedimus, vt pœnas omnes pecuniarias, per vos imponendas, ſiue exigendas, in Operibus Publicis, & Viarum lateribus ſternendarum, ſiue in eorum inſtauratione, quarum domos lędi contingerit diſtribuere, & conuertere; & non in alios vſus poſſitis & debeatis. Quartus §.

CAETERVM, cum ſæpe numero contingat, in cauſis mercedum debitarum, magiſtris, qui, ad opus ſternendarum lateribus Stratarum, vel ad domorū pro ornamento Ciuitatis dirutarum inſtaurationem, ſeù refectionem adhibentur, & in aliis cauſis Publicum intereſſe concernentibus, à veſtris Decretis vel Sententiis appellari, hac præſenti noſtra ædictali Conſtitutione perpetuò valitura decernimus, quòd omnes appellationum huiuſmodi cauſæ, quæ ſummam xxv. ducatorum non excedunt, tàm præſentes, quàm pendentes: & futuræ, ſiue coràm ordinariis Iudicibus, ſiuè Commiſſariis, tàm laycis, quàm Eccleſiaſticis agitentur, infrà vnum menſem, à die quo præſens Conſtitutio intimata fuerit, quò ad cauſas pendentes, vel quò ad alias appellationes introducendas, à die præſentatæ appellationis incohandum, finiri & expediri debeant, aliàs deſertæ ipſo iure, & ipſo facto remaneat, & ad uos reuoluantur: Ità q abſquè alia declaratione, ſuper deſertione, vel remiſſione cauſæ fienda, quacumquè Inhibitione non obſtante, ad effectualem exequutionem ſuper iudicatis in dictis cauſis, procedere valeatis, omnibus aliis appellationibus penitùs & omninò reiectis. Decernentes irritas & inanes quaſcumquè Commiſſiones in contrariū fiendas, in quibus expreſſa mentio huiuſmodi conſtitutionis non fieret, etiā ſi illi, per nos fuerit expreſsè derogatū. Quintus.§.

QVAE omnia in Statutorum veſtrorum Volumine inſeri, & inſerta pro Statutis Sextus.§.

perpetuò

perpetuò obſeruari iubemus, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, Legibus Imperialibus, Statutis Vrbis, ampliora fatalia in dictis cauſis præbētibus, cæteriſquè in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunquè.

Placet D.N.PAPAE, & ita mandat Io. Card.Alexandrinus.

BVLLA IVLII PAPAE II.

De facultate teſtandi, & diſponendi, de Palatiis, & aliis ædificiis Vrbanis, ſeu Ruſticis.

IVLIVS &c. Ad perpetuam rei memoriam

LICET ad ea quæ per Sedem Apoſtol.&c.

HAEC Bulla pariter eſt confirmatoria illius Sixti, næ, de facul. teſtan.& diſponen. &c. ideò eadem ratione omiſſa, licèt ornatum proſpiciat.

DECRETVM REVERENDISS. CAM. APOST.

In fauorem Inquilinorum, ſuper quo idem Magiſtratus, ac cæteri Iudices cauſas præfatas cognoſcere poſſunt.

RAPHAEL Epiſcopus Portuen. Cardin. S. Georgii D. N. Papæ Camerarius. Cupientes tranquillitati Curialium, qui vt plurimùm alienas domos ſub annua penſione in Vrbe incolunt, nè ab earundem domorum inquilinatu per alios expelli poſſint, ſimulatquè litibus & controuerſiis, quæ propterea ſub oriuntur ſubmouendis, quantùm poſſumus opportunè prouidere; Hinc eſt quòd cum in libris Cameræ Apoſtolicæ reperta fuerit atteſtatio Conſtitutionis huiuſmodi ſub tenore. De mandato Reueren. Patrum Dominorum Vianenſi; Prothonotar. Bononien. S. D. N. Papæ Vicecamerarii, & reliquorum Dominorum Clericorū Cameræ, intimetur R. in Chriſto Patri, & Domino D. Honofrio Epiſcopo Tricaricen. Commiſſario, & Iudici cauſæ, Romanæ domus, inter quoſdam Simonē de Luca, Mercatorem ex vna, & Marianum de Senis, Inquilinum, ex alia, partibus

partibus verten. qualiter in Camera Apoſtolica reperitur Conſti-tutio quædam, cuius effectus eſt. QVOD NEMO Curialis Inquilinus, eiici poſſit, ex conducta domo, niſi propter factam lo catæ domus venditionem, aut dominus domus volens ipſam do mum locatam, per ſeipſum, & non per alium quęcumquè inha-bitare, & eo etiam caſu, niſi ſatisdato prius de inhabitando hu-iuſmodi domum, per ſeipſum, ad minus per vnum annum, aut Inquilinus requiſitus debito tempore recuſet ſoluere conuentam penſionem, & ꝙ de hoc eſt etiam in Romañ. Curia publica vox & fama, vniuerſalis obſeruantia in Iudiciis eiuſdem Curiæ. Da-tum Romę in Camera Apoſtolica, ſub eiuſdem Sigilli impreſſio-ne. Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimo, die vigeſimaſexta menſis Octobris. Pontificatus Sanctiſſ. in Chri ſto Patris & D.N.D. Pauli Papæ ii. anno eius Vii. Gaſpar Blon dus. PROPTEREA eandem atteſtationem, & diſpoſitionẽ, cum omnibus & ſingulis, in eis contentis. De mandato S. D. N. Papæ Viuę Vocis Oraculo, nobis deſuper, & ex Decreto in Ca-mera Apoſtolica facto, cum omnium & ſingulorum ſuppletione defectuum, tàm Iuris quàm facti, quicumquè ſint, innouamus Le-giſq; generalis imperpetuum, vim, & effectum habere, nec ad eius probationem in Iudiciis, & extrà alicuius ꝗ vnius ex Notariis Cam. Apoſt. de pręſenti innouatione, & ordinatione, ac ſtatuto trã ſumptum requiri, ſed idem tranſumptum plenè ſufficere, decer-nimus, & ordinamus. ET NIHILOMINVS pro maiori dictorum inquilinorum ſatisfactione, & ad lites controuerſias eui tandas, vt præfertur Oraculo & Decreto ſimilibus, etiam imper petuum, ſtatuimus, & ordinamus quòd ex nunc & impoſterum nullæ locationes, etiam ad longum, ſeù longiſſimum tempus, ſeù etiam ad tertiam generationem, nec etiam venditiones, de eiſdẽ domibus ſic alteri locatis, ſeù & quiuis alii contractus quomodo-cumquè, etiam cum iuramento, & in quauis forma etiam Came ræ Apoſtolicæ, ſeù alias quomodocunquè excogitari poſſint, etiã ſub prætextu quòd vtiles eiſdem locatoribus dominis exiſtant, per earundem domorum dominos ſiue Romani ſint, ſiue Curiales, etiam ſi aliàs pupilli, ſiue xxv. annis minores, vel etiam mulieres, laycí, vel clerici, ſeù etiam religioſi, vel alias Eccleſiarum quarum-uis Rectores, vel etiam earumdem domorum Iure quorumuis Beneficiorum per eos obtentorum Ius ſeù dominium habẽtes & pro quauis neceſſitate fieri valeant, ſeù alicuius momenti ſint, ni-ſi primitus, & ante omnia iidem Domini earumdem domorum,

Primus. §.

Secundus. §.

Tertius. §.

E Inquilinos

Inquilinos per auctentica Inſtrumenta, & in præſentia Notarii, & teſtium fidedignorum, bis, & cum interuallis decem dierum requiſiti, ſi pro iuſtis conductionibus, ſeù preciis, vel aliis conſiderationibus, eaſdem domos in ſimilem locationem, vel emptionem, vel per alios huiuſmodi contractus habere volunt, aliàs dictę venditiones, & locationes, aliique contractus locationis deſuper facti, ex tunc, etiam ſi aliàs præſens conſtitutio ignoraretur, nullius roboris vel momenti fore intelligantur, & omnimò pro infectis habeantur.

Quartus §. AC EX TVNC, idem locare vel vendere, ſeù aliàs contrahere volens, cenſeatur ad eandem locationem, ſeù venditionem, vel alium contractum cum eodem Inquilino faciendum, pręcisè aſtrictus perindè, ac ſi per publicum Inſtrumentum idem Dominus ſe ad eam locationem, venditionem, ſeù alium contractum eidem Inquilino obligaſſet, ſuper quo etiam ſola veritate inſpecta, Ius, & Iuſtitiam miniſtrari volumus, & mandamus, In contrarium facien. non obſtan. omnium hic exprimen. tenores pro ſufficienter expreſſis habentes.

Quintus §. DIE vndecima menſis Octobris, Milleſimo Quingenteſimo Decimo. Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris & D. N. D. Iulii Diuina Prouidentia Papæ, II, Anno VII; Præfatum Decretum & Conſtitutio antiqua confirmata fuit per Reueren. Dominos Vicecamerarium Præſiden. & Clericos Cameræ Apoſtolicæ; Præſentibus Romæ in Camera Apoſtolica venerabilibus viris dominis Ioan. Baptiſta Brocho Commiſſario Apoſtolico, & Aurelio Amerin. Notario, Cameræ, Apoſtolicæ, & me Melchiore de Campania eiuſdem Cameræ Notario rogato; Et nè contingat quemquàm de præmiſſis eſitare, has præſentes Literas teſtimoniales fieri, & per eiuſdem Cameræ Apoſtolicę Notarium infraſcriptum ſubſcribi, ſigilliquè noſtri Camerariatus Officii iuſſimus & fecimus appen. communiri. Datum Romæ, in Camera Apoſtolica. ſub Anno à Natiuitate Domini MDXIII. Indictione prima, Die verò xxi. Menſis Iunii Pontificatus Sanctiſſ. in Chriſto Patris & D. N. D. Leonis Diuina Prouidentia Papæ X. Anno eius primo, præſentibus ibidem venerabil. viris dominis Aurelio Amerino, & Franciſco de Attauantis, eiuſdem Cameræ Notariis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, atquè Rogatis.

Placet D.N. Papæ, & ità Motu proprio mandat L. Card. Agener.

R. in Cam. Apoſtol. Lib. iiii. Diuerſ. Iulii Papę II. fol. 120.

M. de Campania.

De poteſtate teſtandi, ædificandi, & alienandi omnibus in Alma Vrbe exiſtentibus.

LEO &c. Ad perpetuam rei memoriam.

INTER curas multiplices, quæ pro Paſtorali officio laudabiliter exequendo nobis incumbunt, illam libenter amplectimur, per quam Rom. Vrbis in qua Apoſtolorum Princeps ſibi, & ſuis in Chriſti Vicariatu ſucceſſoribus Sedem ſtatuit, & ad quam de vniuerſis Orbis Prouincijs frequẽs, aſſiduusquè hominum eſt acceſſus, conditio nõ minus in Vrbanorum, Ruſticorumquè prædiorum amplitudine, & excellentia, quàm virorum inſignium numero, & ornatu noſtræ prouiſionis opere præclarior in dies, atq; illuſtrior fiat, & qui in ea pro tempore degerint, aut Rom. Pontificis curiam ſequentur, certiore in ſuorum diſpoſitione bonorum libertate fruantur, & quæ propterea à nonnullis ex Prædeceſſoribus noſtris prouida conſideratione emanarunt, vt eò firmius illibata permaneant, quò fuerint crebrius Apoſtolico circumfulta præſidio, noſtrę approbationis munimine roboramus, extendimusq;, & ampliamus, prout tẽporũ ratione habita, noſtro, & eiuſdem Vrbis, ac Curię decori cognoſcimus expedire. DVDVM ſiquidem fe. re. Sixtus Papa IIII. prædeceſſor noſter cupiens dictæ Vrbis decori, & venuſtati in ſtructuris, & ædificiis, ac Virorum copia Nobilium, quibus Vrbs ipſa ob varios ſiniſtros euentus plurimum diminuta fuerat, oportunè conſulere, habita ſup hoc cũ tunc S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de illorum conſilio, & aſſenſu, & de ipſius prædeceſſoris certa ſcientia, primò quòd omnes, & ſinguli, tàm ſui Curiales dictam Curiam ſequentes, quàm alii cuiuſcumquè Dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis, præeminentiæ, vel conditionis exiſterent, etiam ſi Cardinalatus honore, aut Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, Abbatiali, vel quauis alia Eccleſiaſtica, aut mundana dignitate fulgerent, & ſi regulares forent, adminiſtrationem, aut dignitatem obtinerent, qui Palatia, domos, caſalia, ſiue alia ædificia Vrbana, vel Ruſtica ædificauerant, aut ædificarent, ſeù fundari, & ædificari fecerant, vel facerent in futurum, aut ędificata, & conſtructa emerant, ſeù emerent, vel illa, aut cẽ

Confirmatio Bullæ Sixti Papæ. iiii. ſupra notatæ, quæ in aliquibus Noua ordinatio dicitur, d.§. 15. uſquè ad finem.

Primus.§.

ſus annuos, Iura, & quæuis immobilia bona in Vrbe, vel extrà, aut propè eam ad miliaria Decem, alio quouis iuſto titulo, tàm ex bonis, & pecuniis propriis, quàm ex fructuum, reddituum, & prouentuum Eccleſiaſticorum Beneficiorum ad eos ſpectantium prouenientibus, acquiſiuerant eatenus, vel acquirerent in poſterùm, de eiſdem Caſalibus, domibus, Palatiis, ædificiis, Cenſibus, Iuribus, necnon Territoriis, Feudis, Iuriſdictionibus, & bonis aliis quibuslibet, dummodo ad Eccleſias, Monaſteria, & alia pia loca, aliter, quàm ex fructibus eorum (vt præfertur) de quibus licere voluit eis pro voto diſponere non pertinerent, in vita ipſorum, & Mortis Articulo, prout eis videretur, diſponere teſtari, codicillari, eaq; legare, ſeù inter viuos, & cauſa mortis, aut pro remuneratione laborum, vel obſequiorum eis impenſorum donare, & relinquere, quibuſuis perſonis, cuiuſcunquè ſtatus, vel conditionis forent, etiam ſi aliàs legatarii, donatarii, vniuerſales, aut particulares hæredes, ſucceſſores, & perſonæ aliæ, ad quas ex dominorum voluntate illa peruenirent, filii, nepotes, conſanguinei, affines, familiares, vel alii, etiam incapaces, & inhabiles eſſent, et inhabilitate, vel incapacitate quacunq; notati, dummodo criminis læſæ Maieſtatis rei, aut dictæ Romanæ Eccleſiæ hoſtes non eſſent, ac etiam in Pios, & alios quoſcumquè vſus conuertere, liberè, & licitè poſſent. ETSI ipſas Eccleſiaſticas, aut dignitatem, ſeù adminiſteationem habentes, regulares perſonas de bonis prædictis per eas aliter non diſpoſito decedere contingeret, Palatia, domos, caſalia, & alia ipſorum bona in Vrbe, vel infrà miliaria huiuſmodi conſiſtentia, ad proximiores ſuos, etiam ſi agnati, cognati, & minus capaces, vel inhabiles forent (vt præfertur) ſalua tamen gradus prærogatiua, iuxtà diſpoſitionem Iuris, ſi aliter de ipſorum decedentium voluntate non conſtaret, deuenirét; ipſiquè proximiores, ſiue agnati, vel cognati in eis ſuccedere poſſent, & deberent, in omnibus & per omnia perindè, ac ſi deſcendentes filii, nepotes, agnati, & cognati, habiles, capaces, & hæredes ſcripti exiſterent, ac Palatia, domos, caſalia, & reliqua bona, ex ipſorum labore, vel induſtria, non autem ex fructibus, redditibus, & prouentibus Eccleſiaſticis acquiſita forent, ſtatuit, & ordinauit; eiſquè facultatem & poteſtatem teſtandi, codicillandi, legandi, concedendi, donandi, erogandi; proximioribus verò, nec non agnatis, & cognatis prædictis, etiam incapacibus, & defectum natalium patientibus in eis (vt præfertur) ſuccedendi, liberam licentiam conceſſit. INHIBVITQVE Cameræ Apoſtolicæ

Secundus.§. (margin, beside "ETSI")

Tertius.§. (margin, beside "INHIBVITQVE")

ſtolicæ Clericis, & aliis ſuis, ac Curię, & Vrbis prædictarum Officialibus, nec non Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum Eccleſiaſticorum locorum, Prælatis, Capitulis, Conuentibus, Prioribus, Præpoſitis, Plebanis, Rectoribus, aliisquè quocumquè nomine nuncuparentur, nè de bonis per eoſdem (Vt præmittitur) relictis, legatis, donatis, ſeù quouis modo in dicta Vrbe, vel extrà, infrà ſpatium huiuſmodi demiſsis ſe intromittere, aut illa petere, vendicare, ſeù hæredes & ſucceſſores deſcendentium perſonarum earumdem illorum occaſione impedire, aut moleſtare quoquomodo præſumerent; ac decreuit irritum, & inanę quicquid ſecus ſuper iis per quoſcunquè quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigeret attentari. ET DEINDE per alias ſuas Literas Motu proprio, & ex certa ſua ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam perpetuò ſtatuit, & ordinauit, quòd tunc, & pro tempore exiſtentes dictæ Romanæ Eccleſiæ Camerarius & Magiſtri ædificiorum, & Stratarum dictę Vrbis, ad requiſitionem Dominorum quorumcumquè domorum, quarum porticus, proſella, ſeù alia ædificia pro Viis, ſeù Plateis, & aliis locis Publicis eiuſdem Vrbis, eatenus diruta fuerant, ac dirui contingeret quandocumquè de Mandato Magiſtrorum eorumdem ſi domini prędicti in domibus ipſis inhabitare ſoliti erant antè demolitionem eandem, & tempore demolitionis huiuſmodi factę, & quam fieri contigeret in futurum, abſquè dolo, & fraude inhabitabant, & in poſterùm inhabitarent, & propter huiuſmodi demolitionem iàm factam, & quę fieret, domus ipſæ effectæ eſſent, vel efficerentur in poſterùm pro eorumdem dominorum ipſarū commoda receptione, & inhabitatione, incapaces: Eſſentquè iuxtà eas aliquæ domus per earum dominos minimè inhabitari ſolitę, ſed pro earum annua reſponſione, vel aliàs locari conſuetę, ex quarum coniunctione cum domo huiuſmodi ſic incommoda effecta, domino domus ſic incommodę effectę, aduerſus incommoditatem huiuſmodi ſubuenire valeret, tenerentur compellere illos, ad quos domus ipſas ſic vicinas legitimè pertinere eis conſtaret, etiam ſi ad Eccleſias, & Monaſteria, tàm virorum, quàm mulierum ordinum quorumcumquè, etiam exemptorum, nec non Beneficia Eccleſiaſtica, Hoſpitalia, ac loca pia pertinerent, ad vendendum eaſdem domos vicinas eis, quas ſic incommodas eſſectas eſſe cognoſcerent, pro pretio per duos probos, & expertos viros per vtramquè partem eligēdos determinando, & declarando; Si verò ii duo concordes in eodem aſſignando pretio nō eſſent

Quartus. §.

Sextus. §.

eſſent, eo caſu ipſi Camerarius, & Magiſtri ædificiorum, habito ipſorum duorum Iudicio, pretia eadem imponerent, & aſſignarent. ET FORSAN contigeret ex demolitione huiuſmodi duas domos, ſic per earum dominos inhabitatas incommodas modo præmiſſo effici, & inter eas eſſe aliam domum per illius dominum locari ſolitā: & quam quilibet dominorum vicinarum domorum prædictarum incommoditati ſubiacentium, & ad receptionem ipſorum non ſufficientium ſibi vendi, & ſuæ domui incorporari poſtularet; deberent Camerarius & Magiſtri præfati, illi, ex eis ſic petentibus, venditionem huiuſmodi fieri mādare, quē magis indigere domo vendēda exiſtimarēt, Et ſi ea forsān vterque æqualiter indigeret, partem vni & partem alteri, ſi commodè diuidi poſſet, vendi facerent, aut aliter deſuper prouiderent, prout eis expedire videretur: Et ſi neutram domorum vicinarum, quæ ſic inutiles iam effectæ forent ex demolitione prædicta, vel efficerentur in futurum, earum domini habitarent, ſed eas locare ſoliti eſſent, liceret etiam tunc Camerario, & Magiſtris præfatis, ſi id peteretur, per alterum dominorum domorum earumdem dominū domus minus læſæ ad inſtātiam domini domus magis læſæ, ad emēdum domum magis læſam, aut ſuam domino domus magis læſæ vēdendum compellere, ſeù aliàs, prout eis videretur, prouidere quod ambæ domus ipſæ inutiles, & inhabitabiles non remanerent; & ſimiliter, prout eis videretur, prouiderent quotiens domus ſic vicinæ, & locari ſolitæ æqualiter læſæ, & incommodæ effectæ forent. ET NE OB proteruiam, & duritiem dominorum domorum, ſinè quarum demolitione Plateæ in eadem Vrbe neceſſariæ, & vtiles, ad illius decorem de nouo ordinari, vel iam ordinatæ ampliari, & noua Palatia, nouæque domus conſtrui, ſeù iam conſtructę ampliari, commodè nequirent, Platearum earūdem ordinatio, & ampliatio, ac Palatiorum, & domorum de nouo conſtructio, ſeù reformatio retardentur, poſſent, atque deberēt, iidem Camerarius, & Magiſtri dominos domorum quarumlibet locari, non autem per ipſoſmet dominos inhabitari ſolitarum, Eccleſiaſticos, & ſæculares, quacumquè dignitate fungentes, cogere ad vendendum, pro iuſto & rationabili precio (vt præmittitur) ſtatuendo Conſeruatoribus, ſeù Sindicis eiuſdem Vrbis, domos, quas pro huiuſmodi plateis de nouo ordinandis, vel antiquis reformandis, & ampliandis, neceſſarias, & vtiles eſſe cognoſcerent, Idemquè facerent circà alias domos per earum dominos inhabitari minimè ſolitas, ſed locari, quas vtiles, & neceſſarias eſſe

Quintus. §.

Sextus. §.

as eſſe putarent, pro Palatiis, domibus, ſeu aliis ædificiis, tàm profanis, quàm Eccleſiaſticis in eadem Vrbe de nouo conſtruẽdis, ſeu iàm conſtructis ampliandis, ad inſtantiam perſonarum habentium iuxtà illas domum, ſeu ſolum, aut locum alium, & volentiũ inibi de nouo domos, vel Palatia conſtruere, ſeu iàm conſtructa ampliare, ET SI duo, ſeu plures in huiuſmodi inſtantia concurrerent, ille cæteris præferretur, cui domus, platea, ſeu locus, de cuius venditione ageretur, magis adiaceret, ſeu, qui illo magis indigeret, & ex cuius ædificio plus decori eiuſdem Vrbis cõſuli ſperaretur: Et ſi in omnibus paritas foret, liceret Camerario, & Magiſtris præfatis venditionem huiuſmodi pro parte vni & pro parte alteri, aut vni ex eis in totum fieri mandare, prout eis videretur: Et voluit dictus prædeceſſor, ꝙ in ſingulis caſibus prædictis, ſi illi, ad quos domus, & alia loca vendenda huiuſmodi pertinerent, & moniti & requiſiti per Camerarium, & Magiſtros prædictos bis, cum termino conuenienti, eorum arbitrio moderando vendere recuſarent, aut malitioſè differrent, Camerarius & Magiſtri præfati deberent, vice, & nomine illorum ſic requiſitorum, & vendere recuſantium, vel differentium venditionem huiuſmodi facere, cum promiſſione, obligatione, pœnis, renunciationibus, iuramentis, pactis, & cautelis conſuetis, & precium indè proueniens recipere, & penès ædem Sacram, aut fide & facultatibus idoneam perſonam deponere, dominus domus, aut alterius loci ſic per eos pro tempore venditi, ſi venditionem ipſam ratam habere, & fideiuſſores de euictione præſtare vellent; & non aliàs conſignandum, haberentquè venditiones ipſæ, quas ſic per Camerarium, & Magiſtros fieri contingeret, & traditiones locorum, & domorum ſic venditorum plenam roboris firmitatem, & eoſdem omninò operarentur effectus, ac ſi per illos, ad quos illæ tunc pertinebant, factæ fuiſſent. PROVIDERENT quoq; iidẽ Camerarius, & Magiſtri, in caſibus in quibus aliquos compelli contingeret ad vendendum proponentibus noua ædificia conſtruere, ſeu iàm conſtructa ampliare ſe velle, vt ipſi talia proponentes antè omnia ſe obligarent ad incohandum, & perficiendum huiuſmodi noua ædificia, modis, & formis, ac infrà tempus, & ſub pœnis, de quibus ipſis Camerario & Magiſtris, perſonarum & ædificiorum qualitate inſpecta, videretur, & ab illis, qui ſic ſe obligaſſent, & præmiſſa non adimpleuiſſent, pœnas exigerent memoratas, & nihilominus eos compellerent ad obſeruandum præmiſſa, per eos, vel quos prius habitarent, & etiam

Septimus. §.

Octauus. §.

etiam propterea eis venditas domos aliis ędificare volentibus vendendum, pro iuſto, & rationabili pretio (vt pręfertur) moderando. ET QVIA interdum contingebat, quòd habentes domos, ſiue domorum ſedimina, clauſtra, ſeù loca in eadem Vrbe, & illa vendere volentes, varijs plerùmquè modis, & occaſionibus illa vendere recuſabant habentibus domos, ſedimina, clauſtra, & loca illis vicina, & nonnumquàm illa vẽdebant ęmulis eorumdem vicinorum, ſeù perſonis eis parùm gratis, quò fiebat, vt ipſi domorum, clauſtrorum, & ſediminum, ſeù aliorum locorum vicinorum domini illa emere volentes, & habere nequeuntes retraherentur perſæpe ab ædificatione de nouo in eorum ſediminibus, & locis vicinis, ac ab ampliandis domibus, quas inhibi habebant, ſicquè decori eiuſdem Vrbis, aut ſaltem ipſorum vicinorum commoditati non parùm detrahebatur; Etiam ſtatuit, & ordinauit idem Prædeceſſor, quòd præfati ſic vendere volentes, tenerentur domos, ſedimina, clauſtra, plateolas, & loca venalia huiuſmodi, vendere habentibus domos, ſedimina, clauſtra, & loca alia illis contigua, pro iuſto, & rationabili pretio per alios euidenter, & non ficte forſàn oblato: Et ſi illa alijs, quàm vicinis pręfatis venderent, venditiones illæ quòad alios qui ea emerent, & eorum commodum nullius eſſent roboris, vel momenti, & haberentur pro infectis, & deberent Camerarius, & Magiſtri præfati, ementem à poſſeſſione domus, ſediminis, clauſtri, plateolæ, ſeù alterius loci ſic empti, abſq; vlla tela Iudicij, vicino inſtante, & pretiũ rationabile offerente, & dicto emptori ſi illud recipere, & emptioni per eũ factę renũciare, & ipſum vicinũ iuxtà Camerarij, & Magiſtrorũ prædictorũ ordinationẽ cautum facere vellet, perſoluendũ deponente, amouere, & ipſum vicinũ in illius poſſeſſionẽ inducere, perindè, ac ſi emptio ab ipſo facta fuiſſet. ETSI FORSAN duo eſſent vicini, quibus domus, clauſtrũ, ſedimẽ, plateola, ſeù alius locus, de cuius venditione ageretur, vtilitatẽ, commoditatem ferre poſſet, ille ex eis præferri deberet in præmiſſis, quem Camerarius, & Magiſtri præfati, conſideratis circumſtãtijs vniuerſis, venali domo, ſedimine, clauſtro, ſolo, plateola, ſeù loco alio magis indigere declarent, Et ſi æqualiter indigerent, pro parte vni, & pro parte alteri, poſſet exindè commoditas prouenire, vtriquè proportionabiliter concederetur. Si verò facta illius diuiſione portiones vtriuſquè ferè inutiles eſſent, non diuideretur, ſed Camerarius & Magiſtri alterum eorumdem vicinorum, quem vellent, illam, vel illud aſſignarent, Camerario in

Nonus. §.

Decimus. §.

in Eccleſiaſticas, & eo, ac Magiſtris præfatis in alias perſonas cum facultate, & poteſtate, videlicet, Camerario per cenſuram Eccleſiaſticam, & ipſo, ac Magiſtris præfatis per pœnarum, & mulctarũ exequutionẽ, ac perſonalem diſtrictionem, & alia Iuris remedia, Contradictores quoslibet, & rebelles compeſcendi, Exequutoribus deſuper deputatis, prout ſingulis Literis prædictis plenius continetur. ET SVCCESSIVE Piç memoriæ Iulius Papa II. (Vndecimus. §.) etiam prædeceſſor noſter, Motu & ſcientia ſimilibus dictas priores Literas cum inhibitionibus, ac ſingulis aliis in eis contentis clauſulis approbauit, & confirmauit, ac perpetuò firmitatis robur obtinere, & obſeruari debere, decreuit, voluit, mandauit. NOS (Duodecim'. §.) igitur conſiderantes quantum decoris, & dignitatis Vrbi, & Curiæ ſupradictis, & in ędificiorum & prædiorum ampliatione, & ſalubrioris aeris amenitate, & hominũ in omni Virtutum, & Dignitatum genere, Illuſtrium copia, & cultu, à tempore quo dictæ Literç emanarunt, acceſſit, & ꝙ pro conſeruatione, & in melius progreſſu Curiæ, & Vrbis prædictarum ſtatus, neceſſaria eſt, perpetua, & inuiolabilis dictarum vſus, & obſeruantia Literarum, earumquè in aliquibus, quç ipſarum etiam in Suburbiis, & aliis locis dictæ Vrbi (vt premittitur) circumuicinis effectum paſſim impedire noſcuntur extenſio, & ampliatio; cupientesquè in præmiſſis pro virili noſtra, opportunum adhibere remedium, Motu ſimili, non ad alicuius nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera, & matura deliberatione, ac certa ſcientia, Auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium omnes & ſingulas Literas prædictas, cum omnibus in eis contentis clauſulis approbamus, & innouamus, & præſentis ſcripti patrocinio cõmunimus; decernentes eas in ſingulis ipſarum partibus, etiam in quibus fortè haſtenus in vſum receptæ non ſint, debere ab omnibus perpetuis futuris tẽporibus inuiolabiliter obſeruari. ET NIHILOMINVS (Decimustertius. §.) dictorum Prædeceſſorum inhærendo veſtigiis, cupientes ipſorum Ciuium, & Curialium, & aliorum ædificare volentiũ commoditatibus prouidere, vt quantocitius Vrbs ipſa, ac prædia noſtris pręſertim temporibus, ædificiis, ac prędiis inſtauretur, conſiderantes quòd in eadem, & eius diſtrictu, ſunt multæ domus, & loca ſub proprietate tàm diuerſarum Baſilicarum, & Eccleſiarum, quàm Hoſpitalium, & aliorum quorumcumquè piorum locorum, in caſum in quem, domini quibus in cenſum, aut emphiteuſim, seù aliàs quomodolibet loca, aut domus conceſſa ſunt, in illis ędificare vellent, vel cum aliis ad hunc effectum tantùm,

tùm, prout melius poterunt, concordare, iuxtà ſeriem, & teno
rem Literarum re. me. Alexandri Papæ vi. Etiam prædeceſſoris
noſtri ſuper Via Alexandrina emanatarum, quas cum omnibus
illarum inhibitionibus, decretis, clauſulis, & mandatis, approba
mus, & innouamus, ac ad quæcumquè Vrbis, & prædiorum
loca, ad hunc effectum extendimus, & ampliamus, Earumdem
tamen Baſilicarum, Eccleſiarum, & aliorum quorumcumq; etiã
Piorum locorum, non ſolùm indemnitati, ſed vtilitati prouide
Decimusquartus.§. re volentes, prout per præſentes prouidemus. ET VT dicti do
mini, vel alii ad ædificandum facilius, & libentius, inducantur,
volumus, & decernimus, ꝙ ſi cenſus, vel reſponſio, & penſio an
nua erit in emphiteoſim perpetuã, aut cenſum perpetuũ alicuius
familiæ, ꝙ tali caſu liceat illis de familia, tantũdem cenſum, ſiue ſimi
lẽ reſponſionẽ in aliam domum, ſiue domos, vel poſſeſſionem,
aut quæcumquè alia bona ſtabilia ad dictum cenſum, vel reſpon
Decimusquintus.§. ſionem conuenientia, transferre, & permutare, aucta tamen de
cima parte. QVOD etiam volumus, & decernimus, de domi
bus, & locis, tàm intrà, quàm extrà ipſam Vrbem infrà miliaria
prædicta huiuſmodi conſiſtentibus, & cæteris bonis dictarum Ba
ſilicarum, Eccleſiarum, & aliorum etiam Piorum locorum, diuer
ſis inquilinis pro annua reſponſione, vel aliter, etiam ad plures
annos, quibuſuis locatariis locari, ſeù ad plures vitas, aut cum fa
cultate denominandi vnam, vel plures perſonas concedere ſolitis,
ſeù conceſſis, aut in futurum concedendis, quo poſſint in illis æ
dificare, ſeù illa quoquomodo ampliare volentes, dare, & conſi
gnare dictis dominis, & ꝓprietariis, alias domos, ſeù poſſeſſiones,
vel quæcumquè alia bona ſtabilia tantumdem, diuerſis inquilinis
pro annua penſione, cum augumento tamen decimæ, ſeù maio
ris partis, arbitrio Camerarii, & Magiſtrorum Stratarum huiuſmo
di, quod honeſtum viſum fuerit, ac aliàs, ſeù illarum & illorum
pretia, cum dicto augumento, iuxtà formam, & tenorem dictarũ
Literarum Alexandri, & pecunias indè prouenientes in alias poſ
ſeſſiones, & bona, vel neceſſitates ipſarum Eccleſiarum, prout in
dictis Literis latius continetur, conuertere; Quod ſiquis id effice
re recuſabit, poſſint Camerarius, & Magiſtri præfati, iuxtà facul
tates in dictis Literis Sixti, & Alexandri conceſſas, cogere quæcũ
què Capitula, Conuentus, Hoſpitalia, & alia quæuis etiam Pia
loca, ad faciendum dictam permutationem cum augmento dictę
Decimusſextus.§. decimę partis. ET SI INTER duos, aut plures ædificare vo
lentes, lis, aut controuerſia oriri contingat, volumus, & decer

nimus

nimus, ꝙ præuentio habeat locum, ꝙ qui primus negotium ince
perit, & dictos dominos proprietarios primus interpellauerit, il
le ſit potior, nec ab aliquo poſtea moleſtari, vel quoquomodo
impediri poſſit, & valeat, quinimo ex nunc ſit illi Ius quæſitum.

ET TAMEN ad tollendum ſcandala, ſeù controuerſias, quæ exindè oriri contingeret, nè quis poſtea doloſè, & fraudulenter — *Decimuſſeptimus. §.*
ob proteruiam aliquorum, & inuidiam, ſeù ipſorum commodũ
plerumquè fieri poſſet, etiam ſi plus offerrent, & aliis (vt pręmit-
titur) eſſet impedimentum, volumus, & decernimus, ꝙ permuta
tio huiuſmodi cum augumento decimæ partis, & vltrà, prout ar
bitratum fuerit (vt præfertur) cenſeatur, & ſit, in euidentem vtili
tatem; Et nè ob huiuſmodi interpellationem, domini, & proprie
tarii prędicti aliqua damna, ſeù incommoda patiantur, ꝙ liceat ip
ſis eaſdem ſuas domos, loca, & bona retinere, donec ſit illis cum
effectu aſſignata dicta recompenſa cum augumento huiuſmodi.

ET QVONIAM (ſicut accepimus) nonnulli ad habitandum — *Decimuſoctauus. §.*
domos, quibus illarum vicinos pro ornatu, & ampliatione præ
dictis indigere conſpiciunt, de nouo ſe conferunt, vel illas inſtau
rari, aut refici faciunt, vt, quod eis directò non licet, hac ſaltem
via obliqua dictæ Vrbis decori, & vtilitati obuient, illa augere de
ſiderantes ad domos ipſas longè plus iuſto pretio emẽdum, neceſ-
ſitate compellant, auctoritate, & tenore præmiſſis, declaramus
omnes, & ſingulos, qui poſtquam pro parte dictorum Magiſtro-
rum ſuper domibus eorum, per eos tunc non habitatis pro com-
moditate in illis, & apud illas, ædificare volentium (vt præfertur)
vendendis, requiſiti fuerint; domos vendendas huiuſmodi de no
uo habitare, aut inſtaurari, vel refici, non tamen à fundamentis
facere inceperint, ad illas vendendum, iuxtà dictarum Sixti præ-
deceſſoris poſteriorum Literarum tenorem, perindè ac ſi ad eas
de nouo habitandum ſe non contuliſſent, illaſuè inſtaurari, aut
refici facere non incepiſſent, per Camerarium, & Magiſtros prę-
fatos cogi, & compelli poſſe, atquè debere, tàm in præteritis, q̃
in futuris. AC VOLVMVS ea omnia, quæ per Sixtum prę- — *Decimuſnonus. §.*
deceſſorem pręfatum ſuper venditionibus, & diuiſionibus domo
rum, arearum, ſiue Pletearum intrà Vrbem conſiſtentium, in fa-
uorem perſonarum de nouo ædificare, aut conſtructa ędificia, &
prædia ampliare volentium, ab inuitis dominis, ſeù etiam eorum
nomine faciendis, prouidè ſunt diſpoſita, etiam extrà Vrbem, in
locis vltrà prædicta miliaria non diſtantibus, in quibus ab aliquot
citrà annis, multa, & ſpecioſa viridaria, vineę, & alia non minus

 pulchra,

pulchra, quàm vſui humano vtilia, & neceſſaria, receſſus, & ædificia ſurgere inceperunt, vicem ſibi vendicare, & effectum ſortiri debere, vbi, & quotiens eiſdem Camerario, & Magiſtris videbitur vtilitati, vel ornatui Publico expedire. NON OBSTAN.

Vigeſimus.§. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis facultatum, & licentiarum teſtandi, & aliàs diſponendi, inter viuos, vel in vltima voluntate de bonis, & rebus per Eccleſias, & alia Eccleſiaſtica, & pia loca, illorumuè fructus, redditus, & prouentus, pro tempore acquiſitos, perſonis eccleſiaſticis, ſæcularibus, & regularibus, per Sedem Apoſtolicam quomodolibet conceſſarum, reuocationibus, reductionibus, modificationibus, ſuſpenſionibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per viam perpetuæ conſtitutionis, ex quibuſuis etiã in Fidei, aut Terræ Sanctæ contrà infideles, & Fabricæ dictæ Baſilicæ ſubſidium, aut aliis quantumlibet maximis, & vrgentiſſimis, ac neceſſariis cauſis, etiam Motu, & ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, & de dictorũ Cardinalium conſilio, etiam Conſiſtorialiter habito, & cum aliis quibuſcumquè, etiam derogatoriarum derogatoriis, & talibus clauſulis irritantibus, declarationibus, reſtitutionibus, reintegrationibus, & decretis, quòd illis non poſſit modo aliquo derogari per præfatos, & quoſcumquè alios Romanos Pontifices, ſimiliter prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem prædictam factis, & faciendis, quibus omnibus illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbũ inſerentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes harum ſerie, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſupradictis ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & ad præſentium, & dictarum Sixti, Alexandri, Iulii, & aliorum prædeceſſorum Literarum, & contentorum omnium in eis obſeruationem, nos, ſucceſſoreſq; noſtros æque, & abſquè vlla differentia teneri, ac ſi ea ſolemni Dilectorum Filiorum Pauli Coleiohannis, & Franciſci de Veteranis, ac Iuliani de Lotis Conſeruatorum Cameræ, & Antonii de Zochulis, Prioris Capitum Regionum dictæ Vrbis, ac Marci Antonii de Alteriis, & Iacobi de Fraiapanibus Magiſtrorũ ædificiorum, & Viarum dictæ Vrbis, pro Dilectis filiis Populo Romano: & ipſius nomine ſtipulatione deſuper præcedente, nos, & ſucceſſores noſtri præfati eiſdem Populo conceſſiſſemus, & cum eis ſuper iis omnibus, & ſingulis contraxiſſemus, decernimus, & declaramus,

Vigeſimusprimus.§. Cæteriſquè contrariis quibuſcumquè. ET QVIA difficile forſàn foret præſentium Literarum notitiam ad quaſcumquè perſonas deuenire, eadem Apoſtolica auctoritate, volumus, & decernimus

nimus, ꝙ Tranſumptis pręſentium Literarum, etiam per impreſ-ſionem factis, ſubſcriptione, & ſigillo Dilectorum filiorum Conſeruatorum Camerę Almæ Vrbis noſtrę munitis, eadem fides vbicumquè adhibeatur, quę ipſis originalibus Literis quibuſcumq; in locis adhiberentur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. NVLLI ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę approbationis, innouationis, communitionis, decreti, extenſionis, ampliationis, prouiſionis, voluntatis, declarationis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. DATVM Romę, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę. MDXVI. Quarto Non. Nouem. Pontificatus noſtri, Anno Quarto.

Vigeſimusſecũdus.ſ.

Vigeſimuſtertius & vltimus .ſ.

R. Epiſcopus Hoſtien. Card. S. Georgii Camerarius.
P. Card. S. Euſebii.
Viſa A. Card. S. Praxedis.

MOTVS PROPRIVS EIVSDEM LEONIS.

Quòd à Sententiis latis ſuper ædificiis, & aliis bonis, appellari non poſſit, ſed infrà certum tempus, ad Cameram Apoſtol. recurratur.

LEO PAPA X.

MOTV Proprio &c. Cum ſicut accepimus, non obſtan. quòd iuxtà formam Literarum ſuper liberatione domorum, & aliorum quorumcumquè locorum, rerum, bonorum, etiã ſub proprietate alicuius Eccleſię, aut Piorum locorum exiſtentium, ſoluta, ſeu aucta decima parte, à nobis emanatarum, tàm per Camerarium Noſtrum, & Magiſtros Stratarum, ꝗ etiam per alios per nos deputatos ſuper eiſdem domibus, locis, & bonis conſiſtentium pronunciari, ſeù declarari contingat, tamen patroni domorum, aut proprietarii dictarum Eccleſiarum, & Piorum locorum à dictis pronunciis, & Sententiis appellare, & per appellationes huiuſmodi cauſas in infinitum protrahere non verentur, contrà mentem noſtram. NOS IGITVR attendentes, ꝙ propter pręmiſſa Ciues, & Curiales, & alii à conſtructionibus, & ampliationibus

Primus.ſ.

tionibus ædificiorum, quæ non ſolùm ad commodum priuatum, ſed etiam Publicum, & maximum ornamentum Almæ Vrbis noſtræ cedunt, pœnitus retrahuntur, ac ſuper iis oportunè prouidere volentes, Motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolicâ tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, quòd prætendentes ſe ex huiuſmodi ſententiis indebitè grauari, nõ debeant ſub pœna Mille Ducatorum auri Cameræ noſtræ Apoſtolicæ ipſofacto ſinè aliqua declaratione applican. & damnorum, ac intereſſe per partè ob in obſeruãtiam Literarum prædictarũ quouis modo ſupportandorum ab ipſis Sententiis, & ordinationibus appellare, querelare, ſeù aliquo modo conqueri; Sed poſſint ad Cameram Apoſtolicam habere recurſum, & querelam, ſuper præmiſſo augumẽto, & Præſidentes dictæ Cameræ de eo cognoſcere.

Secundus.ſ. ET PARTES feciſſe debeant, quòd cognoſcatur, & terminetur infrà quindecim dies, à die factæ querelæ huiuſmodi, quæ in ipſa Camera infrà tres dies, à die latæ Sententiæ huiuſmodi porrigi debeat, quibus elapſis, ſi non fuerit aliquid determinatum, Sententia de qua porrecta fuerat querela, etiam pro dicto augumento decimæ partis, prout declaratum fuerit, exequutioni debitæ, omni exceptione remota, demandẽt. Si verò fuerit in aliquo reformata, reformationi huiuſmodi omni appellatione remota, ſtari, & exequi debeat, omni ſublata appellatione, vel exceptione

Tertius.ſ. ET QVIA etiam intelleximus, in dubium euocari, an Literæ noſtræ prædictæ ad vineas, & viridaria ſe extendant, ea propter ad omne dubium tollẽdum, Literas prædictas etiam ad vineas, viridaria, & alia prædicta, tàm in Vrbe, quàm extrà, & in locis in dictis Literis comprehenſis exiſtentia, extendi debere decernimus, & declaramus.

Quartus.ſ. DECERNENTES irritũ, & inane quicquid contrà præmiſſa ſcienter, vel ignoranter attentatum fuerit, aut in futurum attentari contigerit. Mandantes eidem Camerario, & Cameræ Apoſtolicæ, ac Legatis reſpectiuè, vt omnia in dictis noſtris Literis, ac præſentibus contenta omninò, & effectualiter obſeruari faciant; Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtylo Palatii, cæteriſquè in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Volumus autem, ꝙ Literarum Apoſtolicarum prædictarum, ac præſentium tranſumptis manu vnius Clerici, & Notarii Cameræ ſubſcriptis, quemadmodum prædictis, vbiq; fides adhibeatur. Datum Romæ, apud S. Petrum, Die x. Ianuarii, M D X I X. Pontificatus noſtri, Anno Sexto.

Placet, & ità Motu proprio mandamus I.

Motu

MOTVS PROPRIVS PAVLI PAPAE III.

De facultate DD. Magiſtris, Curatoribusquè Viarum Vrbis conceſſa, ſuper Ieſtiis domorum, & impoſitionibus faciendis domibus cenſuatis.

PAVLVS PAPA III.

MOTV Proprio &c. Et ſi per alias noſtras Literas tàm per Prædeceſſores noſtros, q̃ per nos editas, & confirmatas, Dilectis Filiis Magiſtris Viarum pro tempore exiſtentibus, ad perpetuam Vrbis noſtræ ampliationem poteſtas & omnimodum arbitrium conceſſum extitit, nedum Cloacas, Vias, & Plateas mundandi, ſternendi, & ampliandi: Verùm etiam vbi & quando opus fuerit, eas de nouo conſtruendi, & dominis domorum dirutarum, vel proptereà diruendarum de eorum damno ſatisfaciendi, & ſimiliter illis, qui de ea re commodum ſentiunt taxas imponendi, impoſitasquè moderandi, & moderatas exigendi, prout eis magis videbitur opportunum; ſemper eorum conſcientiam deſuper onerando, prout in dictis Literis latius continetur. SED CVM omnia præuidere, & in vnum redigere difficiliſsimum ſit, & ea quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio: Cum itaq; ad aures noſtras peruenerit q̃ in demolitionibus huiuſmodi nonnullæ ſunt domus, & loca ſub proprietate & annuo canone Eccleſiarũ, Monaſteriorum, Hoſpitalium, Collegiorum, Vniuerſitatum, Perſonæ, vel alterius Loci Sacri, vel profani, quorum multæ in perpetuum, nonnullę ad tertiam, & quartam lineam, aliæ ad ſecũdam generationem, vel nominationem, plerique ad vitam vnius tantum, alię ad longum, vel modicum tempus locatę, aliæ pignori datæ, aut pro donbus hypotecatæ, & aliàs, prout inter partes ipſas conueniri ſolitum eſt: quarum ferè omni dominio vtili tantùm translato, cum directo quandoquidem permiſcendum, & ad ipſos proprietarios redeundum; & quoniam paria debent eſſe commoda, & incommoda, nec congruum videtur q̃ qui vtile tantùm dominium habet, à quo, breui, vel ob tempus iàm lapsũ, aut canonis non ſolutionem, aut alia ex quauis cauſa à Iure ſuo fuerit cecidendus, & integram taxam, & impoſitionem ſoluere cogatur illius rei, de qua breue ſuſcepturus eſt commodum, ad inſtar eorum qui eiuſdem rei, veri & perpetui futuri ſunt domini, Primus.

&

& econuerſo, illi, quibus res ipſa eſt pleno iure reuerſura, abſq; ſolutione, & aliquo eorum incommodo perpetuum ſuſcipiant commodum, & ſimiliter illi, qui in principio locationis exiſtunt pari paſſu procedant cum illis, qui iam ad finem dictę locationis

Secundus.§. perueniunt: qua de re multę ortæ ſunt & oriuntur lites. SED quoniam animi noſtri eſt, nè dùm lites fouere, ſed litium anfractus dirimere, icircò volumus, ac Motu Proprio mandamus, quòd præfati Viarum Magiſtri, ad quos cognitio huiuſmodi legitimè conſtat, & ſpectat, conſtito eis etiam ſummariè & quantùm ſufficit, de locationibus huiuſmodi, ac earum qualitate & exiſtentia, eaſdem ità per eos taxari, taxatas moderari, & moderatas exigi volumus, & mandamus: hoc modo, videlicet, Quod illi, qui perpetuas locationes habent, vel perpetuos ſoluunt cenſus, integras taxas perſoluant, qui autem ad ſecundam, tertiam, vel quartam generationem, vel nominationem, aut longum, vel modicum tempus; Si in principio, & citrà medium fuerint, duas tertias; Si in medio, vel propè medium, dimidiam; qui vltrà medium, & propè finem, in tertiam grauentur; reliquum verò ſoluat directus Dominus: In iis autem, quæ pignori datę, vel quoquomodo hypothecatæ fuerint, ſoluat ipſe Dominus. MAN-

Tertius.§. DANTES propterea Magiſtris prædictis, quòd impoſitiones & taxas huiuſmodi inter vtiles & directos Dominos, ità modo præmiſſo diſtribuant, & compenſent, habita prius inter eos matura conſideratione, rei, loci, temporis, & perſonę; ſuper quo, eorum conſcientiam oneramus, & quicquid per eos ità deſuper ſtatutum, ordinatumuè fuerit, ab omnibus inuiolabiliter obſeruari: Irritum, & inane decernentes, quicquid ſecus actum, attentatumuè fuerit, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumquè. Et ità volumus, & Motu Proprio mandamus.

Placet, & ità mandamus A.

ALIVS MOTVS PROPRIVS, EIVSDEM PAVLI.

Super Iuriſdictione, & confirmatione Iuriſdictionis eiuſdem Magiſtratus.

PAVLVS

PAVLVS PAPA III.

MOTV Proprio &c. Inter alias Innumerabiles, et graues Paſtoralis huius quod gerimus Officii curas, nobis ab initio ſuſcepti per Nos Pontificatus cordi ſemper fuit, Almæ Vrbis Noſtræ Ornatus, et ampliatio, quod per Viarum directionem, Platearum conſtructionẽ, Priuatarum, Publicarumquè, & Sacrarum ædium veterum, ſcilicèt Iſtaurationem, & ornamentum, nouarumquè conſtructionem & multiplicationem, Iuſſu quidem, & diſpoſitione noſtra, miniſterio autem, & diligentia Dilectorum Filiorum pro tempore exiſtentium Magiſtrorum ędificiorum, & Stratarum Vrbis nuncupatorum fieri curauimus, & in præſentiarum per Dilectos filios Dominicum de Nigris, ac Thomam de Caualeriis, modernos, & in futurum pro tempore exiſtentes Magiſtros huiuſmodi fieri debere curauimus, VT igitur Dominicus, & Thomas præfati, & alii qui erunt pro tempore, eorum in dicto Officio ſucceſſores, vt in iis quę per Nos & Succeſſores noſtros in Officium præfatum concernentibus ordinata erunt, celerius exequi, Officiumquè ipſum efficacius exercere valeant, congruum exiſtimamus vt Iurisdictiones, Facultates, & Priuilegia eiſdem Magiſtris, & ſuo Officio per plures ex Prædeceſſoribus noſtris conceſſa, non ſolùm intacta eis pręſeruentur, ſed etiam omnibus obſtaculis, atquè impedimentis remotis, inuiolabiliter obſeruentur, ac lata potius q̃ ſtricta interpretatione ab omnibus recipiantur. Et propterea Motu ſimili &c. quæcunquè dictorum Magiſtrorũ, & ſui Magiſtratus Officii Statuta, & Ordinationes, necnõ Priuilegia, & Indulta eis & eorũ Magiſtratui per quoſcunquè prędeceſſores noſtros, & per nos quomõlibet cõceſſa, & innouata, & in illis contenta quęcunquè, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus. Primus.§.

ET ſuper Indultis & Priuilegiis prædictis inhęrendo, & illa declarando Volumus, & ordinamus ꝙ iuxtà Facultates ipſis Magiſtris per fœl. rec. Martinum V. Eugenium IIII. Sixtum etiam IIII. Alexandrum VI. Iulium II. Leonem X. & alios Romanos Pontifices prędeceſſores noſtros huiuſmodi conceſſas, ipſi Magiſtri in omnibus & ſingulis cauſis, litibus, differentiis, quæſtionibus, & controuerſiis ad eorum Iurisdictionem, & Officium, tàm ex forma Statutorum, & Priuilegiorum pręfatorum, quàm de conſuetudine, aut alias Secundus.§.

 quo-

quomodolibet ſpectantibus,inter quaſcunquè perſonas,tàm lay-
cos,quàm Clericos,& Religioſos,etiam Collegia, & Vniuerſita-
tes eccleſiaſticas,Monaſteria, & Loca Pia quæcũquè, ipſi ſoli,ad
quorumcunquè petitionem ſiue quærelam,vel denunciationé,
aut etiã ex eorum mero Officio,non ſolùm ſũmariè, ſimpliciter,
& de plano, per ſolam locorum inſpectionem, teſtibus etiam
in locis ipſis examinatis, ſed etiam per viam Præceptorum, &
Mandatorum pænalium, prout hactenus facere conſueuerunt,
procedere;& contrà talium præceptorum inobedientes, ad exe-
quutionem mulctarum,& pœnarum in eis comminatarum de-
uenire,pœnasquè ipſas in vſus publicos,& pro vt hactenus eis p
Facultates huiuſmodi conceſſum extitit, & non in alios uſus di
Tertius.§. ſtribuere valeant. ET q in cauſis mercedum,debitarum quibuſ
cunquè operariis,operum ad ipſorum Magiſtrorum curam ſpe-
ctantium, quantitatem XXV. ducatorum non excedentibus; et
in omnibus aliis cauſis,ſummam XV.ducatorum non excedenti
bus,Sentẽtiarum per ipſos Magiſtros latarum exequutio per Ap
pellationem non ſuſpendatur, ſed quacunquè appellatione nõ
obſtante,ipſi in cauſis prędictis ad ſuarum Sententiarum totalem
exequutionem liberè procedere, ac procedi facere posſint, &
q quęcunquè Appellationes ab aliis eorum Sententiis ſummam
Quinquaginta ducatorum nõ excendentibus, pro tempore in-
terponendæ,niſi infrà duos Menſes proximos illarum cauſæ per
Iudices ad quos,terminatæ fuerint, illicò & eo ipſo, abſquè alia
deſuper facienda declaratione,lapſis duobus menſibus, à die in-
terpoſitæ appellationis computandis, Appellationes ipſę deſertę
remaneant,ipſiquè Magiſtri quibuſcunquè inhibitionibus non
obſtantibus,abſquè alia (ſuper deſertione) facienda declaratio-
ne,ad effectualem ipſarum Sententiarum exequutionem proce
Quartus.§. dere posſint & valeant. QVODQVAE vbicunquè cõtinget
per Viarum directionem,& domorum demolitionem, tàm pri-
uatarum perſonarum,q̃ Eccleſiaſticarum, ſeù Collegiorum, aut
Vniuerſitatum,ſolum,ſeù prius publicum, ſeù tunc primum per
dictam demolitionem publici Iuris factum,ac vicinis ſeù aliis per
ſonis vendendum,aut inſolutum pro domibus dirutis, ſeù aliàs
quomõlibet concedendũ eſſe,ipſi Magiſtri,ſolùm loca quæcun-
què ſic concedenda,illi,vel illis,cui vel quibus,eis pro maiori pu-
blica vtilitate videbitur,& pro pretio per eos arbitrando, omni
& quacunquè appellatione remota,concedere & tradere, ac cui
vel quibus tradendum,& concedendum eſſe cenſuerint, de ibi-

dem ædificando liberam licentiam cōcedere poſſint & valeant; ità tamen q̄ in pari cauſa melior ſit conditio vicinorum. ET QVOD ſuper præmiſsis & quolibet præmiſſorum, per Dilectos Filios, qui ſunt ad præſens, & qui erunt pro tempore Præſidētes & Clericos, aut alios Iudices, eorumuè inhibitiones, aut præcepta impediri nullo modo poſſint, ipſique Præſidentes & Clerici in præmiſsis, ſeù aliis quibuslibet cauſis & negociis, ipſorum Magiſtrorum Officium concernentibus, præterquam in taxis, (vnà cū ipſis Magiſtris) Gettitorū nuncupatis, per ſingulares perſonas perſoluendis, intromittere ſe nequeant vllo modo, ſalua duntaxàt in præmiſsis, & circà ea, Dilecti Filii noſtri, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarii Auctoritate, iuxtà Facultates ſuas ſibi competentes. VOLVMVS nihilominus q̄ in cauſis Clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, ac Piorum locorum, ſi petitum fuerit, in deciſione ipſarum cauſarum tantùm, Dilectus Filius Vicarius noſtræ Vrbis in Spiritualibus Generalis, ſeù eius Locumtenens, iuxtà eiuſdem Alexandri Prædeceſſoris diſpoſitionē interuenire omninò poſſit, & valeat; Et q̄ præſentes de ſubreptione, & obreptione, intentionis nr̄æ defectu, aut aliàs de nullitate & in validitate notari, vel quomodolibet impugnari nequeant, ſed per quoſcunquè inuiolabiliter obſeruari debeant, earūdemquè præſentium ſola Signatura, & abſquè data, vel Regiſtratione, Regula contraria nō obſtañ. in Iudicio, & extrà ſufficiat, & eis derogari per quæcunquè Reſcripta non poſſit, niſi iis præſentibus de verbo ad verbum præinſertis; & ſi aliter fieri contingat, iidem Magiſtri, Reſcriptis & derogationibus huiuſmodi poſt habitis, iuxtà præſentium tenorem, impunè, & liberè procedere poſſint; ſicquè, & nō aliter, in omnibus & ſingulis præmiſsis per Dilectum Filium S. R. E. Camerarium, & quoſcunquè alios Iudices, Etiam Cardinales; in quacunquè inſtantia, ſublata &c. Iudicari debere: Irritumquè &c. decernimus; Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in fauorem vicinorum æditis, Statutiſquè, & conſuetudinibus, etiam Iuramēto &c. roboratis, cęteriſquè contrariis quibuſcunquè præmiſſorum aliorumquè hic forsàn latius exprimendorum tenores, pro ſufficienter expreſis, habentes.

Quintus. ſ.

Sextus. ſ.

Placet Motu Proprio. A.

In fauorem Dñorum domorũ Inquilinorũ,& Subinquilinorũ,de nõ augẽda penſione reſpectu Anni Sancti,ac de eos non expellendo,durante locatione &c. Similiter eidem Magiſtratui, aliiſquè Iudicibus conceſſum.

CVI. ASC. SFOR. S. EVSTACHII DIAC. CARD. de Sancta Flora. S. R. E. Camerarius.

NVPER Nobis in Camera Apoſt. non ſine animi noſtri diſplicẽtia, pro parte Inquilinorum,& ſubinquilinorum Vrbis q̃relantiũ expoſitũ fuit, ꝙ ipſi à Dominis Domorũ per eos ad penſionẽ annuã cõductarum, reſpectu anni Sancti,ſiue Iubilei,tàm ſuper augumento penſionis,fictos oblatores maiorem penſionẽ offerentes inducentibus,q̃ etiam ſuper earum euacuatione, ẽt locatione durante, aſſerentibus domos prędictas pro eorũ vſu habere velle,quotidiè moleſtantur,& ex domibus per eos conductis cõtrà formam Iuris expelluntur; Nihilominus expulſis Inquilinis, ſiue Subinquilinis, domos p̃dictas pro maiori precio in graue damnum Inquilinorum,ſiue ſubinquilinorũ cõtrà formam Decreti Cameralis, eorũ promiſſionis, obligationis,

Primus.§. & iuramenti,alteri locant. NOS, VT tenemur ex debito Noſtri Camerariatus Officii,tranquillitati Curialium Inquilinorũ, & Subinquilinorũ,malitiis,calumniis,litibus,cõtrouerſiis,quæ inter dominos domorũ ex vna,Inquilinos,& Subinquilinos partibus ex altera,quotidiè exindè oriuntur,quantùm poſſumus prouidere cupientes,nè Decretũ aliàs per anteceſſores noſtros, & Cameram Apoſt.in fauorem Inquilinorum factũ,in damnum, & præiudicium ipſorum retorqueatur,Idcircò de Mandato S. D. N. Papæ,viuę vocis oraculo nobis deſuper, ac ex Decreto in Camera Apoſtolica matura conſideratione facto,ſtatuimus,& ordinamus,ꝙ in futurum reſpectu Anni Sancti,vel Iubilei, quandocunquè huiuſmodi annus venerit,per annum antea,& pro dicto anno Sancto,vel Iubilei,Inquilinis penſio domus per eos conductæ à dominis ipſius augeri,nec modus ſoluendi penſionem alterari

Secundus.§. poſſit. INSVPER pro maiori Curialium,Inquilinorum, & Subinquilinorum quiete,& ad lites & controuerſias euitandas, vt pręfertur,oraculo & Decreto ſimilibus; Declarando Decretũ in fauorem Inquilinorum per anteceſſores noſtros,& per Cameram Apoſt.aliàs factum,in perpetuum ſtatuimus,& ordinamus, ꝙ ex nunc in poſterum,durante locatione Inquilini, tàm ipſe Inquilinus,q̃ Subinquilinus eiuſdem, ex domo ab eiſdem conducta,ſiue ſubconducta à domino ipſius, aſſerente domum ſuam

pro

pro vſu ſuo habere velle, expelli non poſſit, niſi iuxtà formam Iuris Communis. FINITA verò locatione, quocunquè modo finiatur, ſi dominus pro ſuo vſu domum habere intendit, tũc vtroquè caſu Inquilinus expelli non poſſit, niſi prius dominus iurauerit, ac ſub pœna amiſſionis penſionis duorum annorum domus, de qua agetur, de non locando alteri domum prædictã, vel partem ipſius, ſed eam totam per ſeipſum per annum inhabitando, in ampliori forma Cameræ Apoſt. cum cenſuris, & mandatis exequutiuis ſe obligauerit. Et ſi dominus cõtrauenerit, ſtatim in pœnam prædictam incidat, quæ pœna, ſi non interuenerit accuſator, pro medietate Fiſco pro pœna periurii, pro alia verò Inquilino, vel Subinquilino reſpectiuè, in caſu ſuo applicãda ſit, ſed ſi in dictis caſibus interuenerit accuſator, tertia pars pœnæ prædictę vnicuiquè ipſorũ applicetur. DECLARANTES ꝙ Subinquilinus finita locatione ſui auctoris, quocunquè modo finiatur, etiam de conſenſu Domini, & Inquilini, huiuſmodi Inquilinorum Priuilegio non gaudeat, ſed domino volenti teneatur eam liberam & expeditam relaxare, niſi ab ipſo domino reconductam habeat. Et ſi Notarius obligationem, promiſſionẽ per dominos domorum fiendam, contrà formam pręſentis noſtri, & Cameræ Apoſt. Decreti, rogare præſumpſerit, ad pœnam ſupradictam teneatur, & ſtatim docto ſummariè, per duos teſtes de contrauentione Domini domorum, vel Notarii, tàm contrà eoſdem dominos, q̃ contrà Notarium, cenſuræ, ſiuæ mandatum exequutiuũ tàm ad inſtañ. Fiſci q̃ Inquilini, Subinquilini, q̃ accuſatoris, parte citata per R. P. D. Pręſidentem Viarum, per Cameram Apoſtolicàm deputatum, & pro tempore deputandum relaxentur. INHIBENTES omnibus, & ſingulis Almæ Vrbis Iudicibus, tàm Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, nè viſo præſenti noſtro, & Cameræ Apoſt. Decreto, ſub maioris excommunicationis, ſuſpenſionis à Diuinis, reſpectiuè, ac ſub aliis arbitrii noſtri, & ſucceſſorum noſtrorum pœnis, contrà illius formam iudicare, vel ſententiare audeant, ſiue præſumant, nec quilibet ipſorum, audeat ſiue præſumat; ſed omnia in pręſenti Decreto contenta, toties quoties opus fuerit, futuris temporibus, in perpetuum inuiolabiliter obſeruare, ac obſeruari facere teneãtur, & debeãt, & quilibet ipſorũ teneatur, & debeat; quocunquè alio Decreto in contrariũ forsàn deſuper facto, cæteriſquè in contrariũ facientib. Non obſtañ. quibuſcunquè, ſi ſecus, &c. irritum, &c. ſublato &c. Et vt præfati Domini Iudices, Fiſcus, Notarii, Inquilini, & Subinquilini, accuſatores, & alii Curiales, de omnibus contentis in pręſenti

Tertius. §.

Quartus. §.

Quintus §.

ſenti noſtro, & Cameræ Apoſt.Decreto,plenam notitiam habeant,Decretum huiuſmodi in Libris Cameræ Apoſt.regiſtrari,imprimi,in locis publicis ſolitis,& conſuetis affigi,ac publicè vendi, tranſumptoquè eiuſdem impreſſo, manu vnius ex Notariis Cameræ Apoſt.ſubſcripto, tàm in Iudicio,quàm extrà,indubitatam fidem adhiberi volumus,& mandamus. Dat. Romæ, in Camera Apoſt.Anno à Natiuitate Domini, M. D. XLIX. Indictione Septima,Die vero 29.Aprilis, Pont.Sanctiſs.in Chriſto Patris, & Dñi N. D. Pauli diuina prouidentia Papæ III. Anno XV.

A. Peregrinus.

Die 7.Maii 1549.ſupraſcriptæ Lrẽ publicatę,& affixę fuerũt &c.

Io.de S. Cruce Curſor.
Hubertus Hollonius, Magiſter Curſorum.

MOTVS PROPRIVS IVLII, PAPAE III.

Super expurgatione Viarum Vrbis.

IVLIVS PAPA III.

MOTV Proprio &c. Cum inter alias, quas ad Summi Apoſtolatus apicem, Diuina fauente Clementia aſſumpti, bonas conſuetudines antiquas in deſuetudinem iuiſſe inuenimus, illa exiſtat,quòd licèt antiquitus Rom. Pontifices prædeceſſores noſtri ſalubritatis aeris,& decoris Vrbis,curam gerentes introduxiſſent, vt ipſius Vrbis Viæ Publicę à luto & puluere, & aliis ipſarum Viarum immunditiis,purgatæ manutenerentur; & pro manutenenda expurgatione huiuſmodi vnus Carlenus ſingulis duobus menſibus,à ſingulis Tabernis,ſiue Apothecis opificum,& aliorum in Apothecis ipſis res venales habentium, exigerentur; eiuſquè exactionis cura, ad Magiſtros pro tempore Viarum Vrbis pertineret: Tamen à multis annis, licèt pecuniæ prædictæ exigerentur, in vſum expurgationis Viarum prædictarum non conuertebantur; & deindè proximè prçteritis annis, etiam ipſarum pecuniarum exactio deſtituta fuit. NOS IGITVR conſiderantes quanta S. R. E. Cardinalibus, Prælatis,

Primus.§.

&

& aliis Curialibus, Vniuerſiſquè Ciuibus, incolis, & aduenis Vr-
bis, ex immunditia Viarum huiuſmodi, tàm hyemali, quàm æſti-
uo tempore proueniant incommoda, & plerunquè etiam pro-
pter vapores & fetorem, aeris infectio, & peſtilentes corporum
infirmitates. Volenteſquè omninò quantum in nobis eſt, ſalubri
tati aeris, commoditatiquè perſonarum, & decori Vrbis prædi-
ctę prouidere, vſumquè continuandę expurgationis huiuſmodi
in ſtatum antiquum reſtituere, ſeù etiam ſi numquàm in vſu fuiſ
ſe reperiatur introducere, & pro illius reſtitutæ, ſeù introductæ
duratione prouidere, habita deſuper tàm cum Dilectis filiis Lati-
no Iuuenali de Mannettis, & Dominico de Nigris, modernis
Viarum ipſius Vrbis Magiſtris, quàm etiam cũ diuerſis aliis ſimi-
lium rerum peritis, matura conſideratione. MOTV ſimili &c. Secundus .ſ.
Statuimus & ordinamus quòd de cætero perpetuis futuris tem-
poribus, ſinguli quiquè Apothecas, ſiue Tabernas, Banchum, ſeù
domum rationis Mercatorum Rom. Cur. ſequentium, Funda
cum, Magazenum, diuerſoria, hoſpitia, tabernas vinarias, eſtua-
ria, furnos, aut pro rebus venalibus, aut quacunquè arte, & opi-
ficio exercendo cuiuſcunquè generis, domum in ipſa Vrbe habẽ
tes, & quomodolibet tenentes, & quamcunquè artem quomo-
dolibet exercentes, etiam ſi ſub Palatiis S. R. E. Cardinalium, &
Eccleſiarum, Baronum, & aliorum quorumcunquè, quacunquè
Dignitate, & poteſtate fungẽtium exiſterent, ſingulis tribus men-
ſibus, ad vſum & effectum faciẽdæ expurgationis prædictæ, vnũ
Iulium, & ſic quatuor Iulios, quolibet Anno ſoluere omninò te-
neantur. ET VT pecuniæ ſic exigendæ, in prædictum, & nõ Tertius.ſ.
in alium vſum cõuertantur, Similiter volumus & ordinamus, ꝙ
exactioni huiuſmodi, prædicti, et qui erũt pro tempore Viarum
Magiſtri, ſint Præpoſiti, Curatores, & Superintendẽtes, ità tamen
quòd ipſi Magiſtri, nullatenus pecuniis manus apponẽtes, teneã
tur deputare, ad eorum, & pro tempore exiſtẽtium Magiſtrorũ
nutum, & arbitrium, amouibiles Officiales, miniſtros, & exequu
tores, vʒ: ſi, & prout eis melius viſum fuerit; Vnum, qui habeat
curam exigẽdi pecunias præfatas, Alterum verò, qui ſit illarum
exigẽdarum & exactarum Depoſitarius, fide, & facultatibus ido-
neum, & alium qui ſit Præpoſitus exequutioni, & negocio faciẽ
dę expurgationis, aſſiduè vias & loca vrbis inſpiciendo, & Carra-
cteris, aliiſquè dictæ expurgationis Operariis, & Miniſtris aſſiſtẽ-
do, illoſquè ſollicitando, & vndecunquè opus fuerit immũditias
prædictas aſportari faciendo, fimum, & immunditias ſtabulorũ,

ruinas

ruinas murorum, terras ex ædificiorum fundamentis, & cellis vinariis, effoſſiones, & alias immunditias quaſcunquè, ex priuatis Palatiis, & domibus prouenientes, in iis nullatenus cõpræhendẽdo. Quos Officiales, Miniſtros, & Exequutores, ipſi Magiſtri pro eorum arbitrio, & cum competenti ſalario per eos ſtatuendo, deputare, & eligere poſſint, & valeãt; recepto tamẽ ab vnoquoquè eorum, iuramento de fideliter exercendò officium eis demandatum, & quò ad ipſos exactorem, & depoſitarium, vltrà iuramentum, recepta etiam idonea cautione de etiam fideliter tenendo, & in fine cuiuſlibet Anni, ſeù in fine officii (ſi antè finem Anni Officium eorum finiretur) computa pecuniarum præfatarum in Camera Apoſtolica, illius Præſidentibus, & Clericis, vt moris eſt reddendo, & reliqua reſtituendo.

Quartus .§. PERSONAE autem Carrecteriorum, & aliorum quorumcunquè ad faciendum expurgationem præfatam neceſſariorum, ſimiliterquè æqui, muli, aut alia iumenta, nec non currus, ſeù Carrectæ, & alia quæcunquè inſtrumenta ad effectum expurgationis præfatæ, pro tempore neceſſaria, per ipſos Magiſtros prout eiſdem melius viſum fuerit, prouideantur, & deputentur; eiſquè ſalaria, & mercedes, eorumdem Magiſtrorum arbitrio, conſtituantur. Quę quidem ſalaria tàm ipſis Officialibus, & Miniſtris prædictis, quàm Carrecteriis, & aliis perſonis deputandis huiuſmodi; per dictum Depoſitariũ ſolui debeant; Receptis tamẽ deſuper Mãdatis, per ambos ipſos Magiſtros, & Clericum Camerę præfatæ, pro tempore deputatũ, ſubſcriptis, & non aliter, aliàs, nec alio modo.

Quintus.§. ET NE' in exactione præfata, confuſio, aut deceptio fieri poſſit, Volumus quòd dictus exactor teneatur in ſuo Libro ſeparatim deſcribere Regiones, Contradas, & Vias, & deindè ſeriatim ac per ordinem, ſecundum vnamquamquè viam, prout vna, alteri contiguæ fuerint, Apothecas, ſiue Tabernas Fundacos, Magazena, diuerſoria, hoſpitia, tabernasvinarias, eſtuaria, furnos, & alias quaſcunquè domos, ex quibus exiget, diſtribuendo etiam Nomen vniuſcuiuſquè patroni, ſiue maioris Apothecæ, Tabernæ, Fundaci, Magazeni, diuerſorii, hoſpitii, tabernævinariæ, eſtuarii, furni, vel domus, à quo exiget, & artem ſiue exercitium quam vel quod, ille exerceat, ſub pœna per ipſos Magiſtros imponenda, ſi, & quoties hunc ordinem non ſeruauerit. Et nè contingat dictum exactorem vltrà ſingulorum trimeſtrium tempus, in exigendis ſingulis Iuliis prædictis, diſtrahi, & propterea expurgationis opus impediri aut retardari, Volumus, quòd quandocunquè dictus exactor

Iulium

Iulium ipſum ab vnoquoquè petierit, ſi non fuerit perſolutus,li ceat ei propria auctoritate,& abſquè aliqua citatione, & manu Regia,ab vnoquoquè recuſante, ſeù differente ſoluere, conueniens pignus capere,& illud ſucceſsiuè,vt moris eſt,per ſubhaſtationem vendere,ſub pœna, arbitrio ipſorum Magiſtrorum imponenda,Illis,qui exactori volenti(vt præfertur)pignus capere, reſiſtentiā facere,ſeù illum impedire conabuntur. MANDAMVSQVE' propterea Latino, & Dominico pręfatis, & pro tempore exiſtentibus Magiſtris Viarum huiuſmodi, ac Dilectis Filiis Guid.Aſc.S.Euſtachii Diaco.Cardinali noſtro,& S. R. E. Camerario,& Clericis præfatæ Cameræ Præſidentibus, pro tempore exiſtentibus,vt Statutum & ordinationem, ac deputationem noſtram huiuſmodi firmiter obſeruent, & exequātur, ac ab aliis obſeruari,& exequi faciant: Ipſiquè Guid.Aſc. Cardinalis & Camerarius,ac Clerici Præſidentes,& pro tempore,vt præfertur exiſtentes,eiſdem Magiſtris in præmiſsis faueant, & aſsiſtant: Non permittentes eos deſuper per aliquos quomodolibet impediri, vel moleſtari. Contradictores quoslibet,& rebelles, ac ſibi in præmiſsis non parentes,per Sententias,cenſuras,& pœnas Eccleſiaſticas,ac etiam pecuniarias eorum arbitrio moderandas,etiam more Camerali compeſcendo; Inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit,auxilio bracchii ſecularis. NON OBSTAN. præmiſsis, ac Conſtitu.& ordina.Apoſt.Statutis &c. Priuilegiis quoquè, Indultis,& Literis Apoſtolicis,ſub quibuſcunquè tenoribus, & formis,ac cum quibuſuis clauſulis,& Decretis, quomodolibet conceſsis &c. Quibus omnibus, etiam ſi de eis &c. Illorum tenores &c.hac vice duntaxàt,ſpecialiter, & expreſſè derogamus; Cæteriſquè contrariis quibuſcunquè. Præſentium etiam abſquè eo quòd regiſtrentur,aut illis data aponatur, ſolam Signaturam ſufficere,& vbiquè in Iudicio,& extrà,fidem facere,decerneñ. vel ſi videbitur,Liræ deſuper etiā per Breue noſtrum expediri poſsint.

Sextus ſ.

Septimus ſ.

Placet,& ità Motu Proprio mandamus. I.

Regiſtrata in Camera Apoſtolica in Lib.ij. Diuerſorū Iulii Papæ Tertii fol. 173.

Hier. de Tarano.

pulchra, quàm vſui humano vtilia, & neceſſaria, ſeceſſus, & ædificia ſurgere inceperunt, vicem ſibi vendicare, & effectum ſortiri debere, vbi, & quotiens eiſdem Camerario, & Magiſtris videbitur vtilitati, vel ornatui Publico expedire. NON OBSTAN.

Vigeſimus.§. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac quibuſuis facultatum, & licentiarum teſtandi, & aliàs diſponendi, inter viuos, vel in vltima voluntate de bonis, & rebus per Eccleſias, & alia Eccleſiaſtica, & pia loca, illorumuè fructus, redditus, & prouentus, pro tempore acquiſitos, perſonis eccleſiaſticis, ſæcularibus, & regularibus, per Sedem Apoſtolicam quomodolibet conceſſarum, reuocationibus, reductionibus, modificationibus, ſuſpenſionibus, & aliis contrariis diſpoſitionibus, etiam per viam perpetuæ conſtitutionis, ex quibuſuis etiã in Fidei, aut Terræ Sanctæ contrà infideles, & Fabricę dictæ Baſilicæ ſubſidium, aut aliis quantumlibet maximis, & vrgentiſſimis, ac neceſſariis cauſis, etiam Motu, & ſcientia, ac poteſtatis plenitudine ſimilibus, & de dictorũ Cardinalium conſilio, etiam Conſiſtorialiter habito, & cum aliis quibuſcumquè, etiam derogatoriarum derogatoriis, & talibus clauſulis irritantibus, declarationibus, reſtitutionibus, reintegrationibus, & decretis, ꝙ illis non poſſit modo aliquo derogari per præfatos, & quoſcumquè alios Romanos Pontifices, ſimiliter prædeceſſores noſtros, ac nos, & Sedem prædictam factis, & faciendis, quibus omnibus illorum tenores, ac ſi de verbo ad verbũ inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes harum ſerie, Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine ſupradictis ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & ad præſentium, & dictarum Sixti, Alexandri, Iulii, & aliorum prædeceſſorum Literarum, & contentorum omnium in eis obſeruationem, nos, ſucceſſoresꝗ noſtros ęque, & abſquè vlla differentia teneri, ac ſi ea ſolemni Dilectorum Filiorum Pauli Coleiohannis, & Franciſci de Veteranis, ac Iuliani de Lotis Conſeruatorum Cameræ, & Antonii de Zochulis, Prioris Capitum Regionum dictæ Vrbis, ac Marci Antonii de Alteriis, & Iacobi de Fraiapanibus Magiſtrorũ ædificiorum, & Viarum dictæ Vrbis, pro Dilectis filiis Populo Romano: & ipſius nomine ſtipulatione deſuper præcedente, nos, & ſucceſſores noſtri præfati eiſdem Populo conceſſiſſemus, & cum eis ſuper iis omnibus, & ſingulis contraxiſſemus, decernimus, & declaramus, Cæteriſquè contrariis quibuſcumquè.

Vigeſimuſprimus.§. ET QVIA difficile forſàn foret pręſentium Literarum notitiam ad quaſcumquè perſonas deuenire, eadem Apoſtolica auctoritate, volumus, & decernimus

nimus, ꝙ Tranſumptis pręſentium Literarum, etiam per impreſſionem factis, ſubſcriptione, & ſigillo Dilectorum filiorum Conſeruatorum Camerę Almæ Vrbis noſtrę munitis, eadem fides vbicumquè adhibeatur, quę ipſis originalibus Literis quibuſcumq; in locis adhiberentur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. NVLLI ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę approbationis, innouationis, communitionis, decreti, extenſionis, ampliationis, prouiſionis, voluntatis, declarationis, & derogationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. DATVM Romę, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę. MDXVI. Quarto Non. Nouem. Pontificatus noſtri, Anno Quarto.

Vigeſimusſecũdus.ſ.

Vigeſimuster tius & vltimus ſ.

R. Epiſcopus Hoſtien. Card. S. Georgii Camerarius.
P. Card. S. Euſebii.
Viſa A. Card. S. Praxedis.

MOTVS PROPRIVS EIVSDEM LEONIS.

Quòd à Sententiis latis ſuper ædificiis, & aliis bonis, appellari non poſſit, ſed infrà certum tempus, ad Cameram Apoſtol. recurratur.

LEO PAPA X.

MOTV Proprio &c. Cum ſicut accepimus, non obſtan. quòd iuxtà formam Literarum ſuper liberatione domorum, & aliorum quorumcumquè locorum, rerum, bonorum, etiã ſub proprietate alicuius Eccleſię, aut Piorum locorum exiſtentium, ſoluta, ſeu aucta decima parte, à nobis emanatarum, tàm per Camerarium Noſtrum, & Magiſtros Stratarum, q̃ etiam per alios per nos deputatos ſuper eiſdem domibus, locis, & bonis conſiſtentium pronunciari, ſeù declinari contingat, tamen patroni domorum, aut proprietarii dictarum Eccleſiarum, & Piorum locorum à dictis pronunciis, & Sententiis appellare, & per appellationes huiuſmodi cauſas in infinitum protrahere non verentur, contrà mentem noſtram. NOS IGITVR attendentes, ꝙ propter pręmiſſa Ciues, & Curiales, & alii à conſtructionibus, & ampliationibus

Primus.ſ.

tionibus ædificiorum, quæ non ſolùm ad commodum priuatum, ſed etiam Publicum, & maximum ornamentum Almæ Vrbis noſtræ cedunt, pœnitus retrahuntur, ac ſuper jis opportunè prouidere volentes, Motu ſimili, & ex certa noſtra ſcientia, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium perpetuò ſtatuimus, & ordinamus, quòd prætendentes ſe ex huiuſmodi ſententiis indebitè grauari, nō debeant ſub pœna Mille Ducatorum auri Cameræ noſtræ Apoſtolicæ ipſofacto ſine aliqua declaratione applican. & damnorum, ac intereſſe per partē ob in obſeruātiam Literarum prædictarū quouis modo ſupportandorum ab ipſis Sententiis, & ordinationibus appellare, querelare, ſeù aliquo modo conqueri; Sed poſſint ad Cameram Apoſtolicam habere recurſum, & querelam, ſuper præmiſſo augumēto, & Præſidentes dictæ Cameræ de eo cognoſcere.

Secundus.§. ET PARTES feciſſe debeant, quòd cognoſcatur, & terminetur infrà quindecim dies, à die factæ querelæ huiuſmodi, quæ in ipſa Camera infrà tres dies, à die latæ Sententiæ huiuſmodi porrigi debeat, quibus elapſis, ſi non fuerit aliquid determinatum, Sententia de qua porrecta fuerat querela, etiam pro dicto augumento decimæ partis, prout declaratum fuerit, exequutioni debitæ, omni exceptione remota, demandet. Si verò fuerit in aliquo reformata, reformationi huiuſmodi omni appellatione remota, ſtari, & exequi debeat, omni ſublata appellatione, vel exceptione

Tertius.§. ET QVIA etiam intelleximus, in dubium euocari, an Literæ noſtræ prædictæ ad vineas, & viridaria ſe extendant, ea propter ad omne dubium tollēdum, Literas prædictas etiam ad vineas, viridaria, & alia prædicta, tàm in Vrbe, quàm extrà, & in locis in dictis Literis comprehenſis exiſtentia, extendi debere decernimus, & declaramus.

Quartus.§. DECERNENTES irritū, & inane quicquid contrà præmiſſa ſcienter, vel ignoranter attentatum fuerit, aut in futurum attentari contigerit. Mandantes eidem Camerario, & Cameræ Apoſtolicæ, ac Legatis reſpectiuè, vt omnia in dictis noſtris Literis, ac præſentibus contenta omninò, & effectualiter obſeruari faciant; Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtylo Palatii, cæteriſquè in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Volumus autem, ꝙ Literarum Apoſtolicarum prædictarum, ac præſentium tranſumptis manu vnius Clerici, & Notarii Cameræ ſubſcriptis, quemadmodum prædictis, vbiq; fides adhibeatur. Datum Romæ, apud S. Petrum, Die x. Ianuarii, M D X I X. Pontificatus noſtri, Anno Sexto.

Placet, & ità Motu proprio mandamus. I.

Motu

MOTVS PROPRIVS PAVLI PAPAE III.

De facultate DD. Magiſtris, Curatoribuſquè Viarum Vrbis conceſſa, ſuper leſtitis domorum, & impoſitionibus faciendis domibus cenſuatis.

PAVLVS PAPA III.

MOTV Proprio &c. Et ſi per alias noſtras Literas tàm per Prædeceſſores noſtros, q̃ per nos editas, & confirmatas, Dilectis Filiis Magiſtris Viarum pro tempore exiſtentibus, ad perpetuam Vrbis noſtræ ampliationem poteſtas & omnimodum arbitrium conceſſum extitit, nèdum Cloacas, Vias, & Plateas mundandi, ſternendi, & ampliandi: Verùm etiam vbi & quando opus fuerit, eas de nouo conſtruendi, & dominis domorum dirutarum, vel proptereà diruendarum de eorum damno ſatisfaciendi, & ſimiliter illis, qui de ea re commodum ſentiunt taxas imponendi, impoſitaſquè moderandi, & moderatas exigendi, prout eis magis videbitur opportunum: ſemper eorum conſcientiam deſuper onerando, prout in dictis Literis latius continetur. SED CVM omnia præuidere, & in vnum redigere difficilliſsimum ſit, & ea quæ de nouo emergunt, nouo indigent auxilio: Cum itaq; ad aures noſtras peruenerit q̃ in demolitionibus huiuſmodi nonnullæ ſunt domus, & loca ſub proprietate & annuo canone Eccleſiarū, Monaſteriorum, Hoſpitalium, Collegiorum, Vniuerſitatum, Perſonæ, vel alterius Loci Sacri, vel profani, quorum multæ in perpetuum, nonnullę ad tertiam, & quartam lineam, aliæ ad ſecūdam generationem, vel nominationem, plerique ad vitam vnius tantum, alię ad longum, vel modicum tempus locatę, aliæ pignori datæ, aut pro donbus hypotecatæ, & aliàs, prout inter partes ipſas conueniri ſolitum eſt: quarum ferè omni dominio vtili tantùm translato, cum directo quandoquidem permiſcendum, & ad ipſos proprietarios redeundum, & quoniam paria debent eſſe commoda, & incommoda, nec congruum videtur q̃ qui vtile tantùm dominium habet, à quo, breui, vel ob tempus iàm lapsū, aut canonis non ſolutionem, aut alia ex quauis cauſa à Iure ſuo fuerit cecidendus, & integram taxam, & impoſitionem ſoluere cogatur illius rei, de qua breue ſuſcepturus eſt commodum, ad inſtar eorum qui eiuſdem rei, veri & perpetui futuri ſunt domini, Primus §.

&

& econuerſo, illi, quibus res ipſa eſt pleno iure reuerſura, abſq; ſolutione, & aliquo eorum incommodo perpetuum ſuſcipiant commodum, & ſimiliter illi, qui in principio locationis exiſtunt pari paſſu procedant cum illis, qui iam ad finem dictę locationis Secundus. §. perueniunt: qua de re multę ortæ ſunt & oriuntur lites. SED quoniam animi noſtri eſt, ne dum lites fouere, ſed litium anfractus dirimere, icirco volumus, ac Motu Proprio mandamus, quòd præfati Viarum Magiſtri, ad quos cognitio huiuſmodi legitimè conſtat, & ſpectat, conſtito eis etiam ſummariè & quantùm ſufficit, de locationibus huiuſmodi, ac earum qualitate & exiſtentia, eaſdem ità per eos taxari, taxatas moderari, & moderatas exigi volumus, & mandamus: hoc modo, videlicet, Quod illi, qui perpetuas locationes habent, vel perpetuos ſoluunt cenſus, integras taxas perſoluant, qui autem ad ſecundam, tertiam, vel quartam generationem, vel nominationem, aut longum, vel modicum tempus; Si in principio, & citrà medium fuerint, duas tertias; Si in medio, vel propè medium, dimidiam; qui vltrà medium, & propè finem, in tertiam grauentur: reliquum verò ſoluat directus Dominus: In iis autem, quæ pignori datę, vel quoquomodo hypothecatæ fuerint, ſoluat ipſe Dominus. Tertius. §. MANDANTES propterea Magiſtris prædictis, quòd impoſitiones & taxas huiuſmodi inter vtiles & directos Dominos, ità modo præmiſſo diſtribuant, & compenſent, habita prius inter eos matura conſideratione, rei, loci, temporis, & perſonę; ſuper quo, eorum conſcientiam oneramus, & quicquid per eos ità deſuper ſtatutum, ordinatumuè fuerit, ab omnibus inuiolabiliter obſeruari: Irritum, & inane decernentes, quicquid ſecus actum, actitatumuè fuerit, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumquè. Et ità volumus, & Motu Proprio mandamus.

Placet, & ità mandamus A.

ALIVS MOTVS PROPRIVS, EIVSDEM PAVLI.

Super Iuriſdictione, & confirmatione Iuriſdictionis eiuſdem Magiſtratus.

PAVLVS

PAVLVS PAPA III.

MOTV Proprio &c. Inter alias Innumerabiles, et graues Paſtoralis huius quod gerimus Officii curas, nobis ab initio ſuſcepti per Nos Pontificatus cordi ſemper fuit, Almæ Vrbis Noſtræ Ornatus, et ampliatio, quod per Viarum directionem, Platearum conſtructionẽ, Priuatarum, Publicarumquè, & Sacrarum ædium veterum, ſcilicèt Iſtaurationem, & ornamentum, nouarumquè conſtructionem & multiplicationem, Iuſſu quidem, & diſpoſitione noſtra, miniſterio autem, & diligentia Dilectorum Filiorum pro tempore exiſtentium Magiſtrorum ędificiorum, & Stratarum Vrbis nuncupatorum fieri curauimus, & in præſentiarum per Dilectos filios Dominicum de Nigris, ac Thomam de Caualeriis, modernos, & in futurum pro tempore exiſtentes Magiſtros huiuſmodi fieri debere curauimus, VT igitur Dominicus, & Thomas præfati, & alii qui erunt pro tempore, eorum in dicto Officio ſucceſſores, vt in iis quę per Nos & Succeſſores noſtros in Officium præfatum concernentibus ordinata erunt, celerius exequi, Officiumquè ipſum efficacius exercere valeant, congruum exiſtimamus vt Iuriſdictiones, Facultates, & Priuilegia eiſdem Magiſtris, & ſuo Officio per plures ex Prædeceſſoribus noſtris conceſſa, non ſolùm intacta eis pręſeruentur, ſed etiam omnibus obſtaculis, atquè impedimentis remotis, inuiolabiliter obſeruentur, ac lata potius q̃ ſtricta interpretatione ab omnibus recipiantur. Et propterea Motu ſimili &c. quæcunquè dictorum Magiſtrorũ, & ſui Magiſtratus Officii Statuta, & Ordinationes, necnõ Priuilegia, & Indulta eis & eorũ Magiſtratui per quoſcunquè prędeceſſores noſtros, & per nos quomõlibet cõceſſa, & innouata, & in illis contenta quęcunquè, Auctoritate Apoſtolica tenore præſentium approbamus, & confirmamus. ET ſuper Indultis & Priuilegiis prædictis inhęrendo, & illa declarando Volumus, & ordinamus q̃ iuxtà Facultates ipſis Magiſtris per fœl. rec. Martinum V. Eugenium IIII. Sixtum etiam IIII. Alexandrum VI. Iulium II. Leonem X. & alios Romanos Pontifices prędeceſſores noſtros huiuſmodi conceſſas, ipſi Magiſtri in omnibus & ſingulis cauſis, litibus, differentiis, quæſtionibus, & controuerſiis ad eorum Iuriſdictionem, & Officium, tàm ex forma Statutorum, & Priuilegiorum prędictorum, quàm de conſuetudine, aut alias

Primus. §.

Secundus. §.

quomodolibet ſpectantibus,inter quaſcunquè perſonas,tàm laycos,quàm Clericos,& Religioſos,etiam Collegia, & Vniuerſitates eccleſiaſticas,Monaſteria, & Loca Pia quæcũquè, ipſi ſoli,ad quorumcunquè petitionem ſiue quærelam,vel denunciationẽ, aut etiã ex eorum mero Officio,non ſolùm ſũmariè, ſimpliciter, & de plano, per ſolam locorum inſpectionem, teſtibus etiam in locis ipſis examinatis, ſed etiam per viam Præceptorum, & Mandatorum pænalium, prout hactenus facere conſueuerunt, procedere;& contrà talium præceptorum inobedientes, ad exequutionem mulctarum,& pœnarum in eis comminatarum deuenire,pœnasquè ipſas in vſus publicos,& pro vt hactenus eis p Facultates huiuſmodi conceſſum extitit, & non in alios uſus di

Tertius.§. ſtribuere valeant. ET ꝙ in cauſis mercedum,debitarum quibuſcunquè operariis,operum ad ipſorum Magiſtrorum curam ſpectantium, quantitatem XXV. ducatorum non excedentibus; et in omnibus aliis cauſis,ſummam XV.ducatorum non excedentibus,Sentẽtiarum per ipſos Magiſtros latarum exequutio per Appellationem non ſuſpendatur, ſed quacunquè appellatione nõ obſtante,ipſi in cauſis prędictis ad ſuarum Sententiarum totalem exequutionem liberè procedere, ac procedi facere poſſint, & ꝙ quęcunquè Appellationes ab aliis eorum Sententiis ſummam Quinquaginta ducatorum nõ excendentibus, pro tempore interponendæ,niſi infrà duos Menſes proximos illarum cauſæ per Iudices ad quos,terminatæ fuerint, illicò & eo ipſo, abſquè alia deſuper facienda declaratione,lapſis duobus menſibus, à die interpoſitæ appellationis computandis, Appellationes ipſę deſertę remaneant,ipſiquè Magiſtri quibuſcunquè inhibitionibus non obſtantibus,abſquè alia (ſuper deſertione) facienda declaratione,ad effectualem ipſarum Sententiarum exequutionem proce

Quartus.§. dere poſſint & valeant. QVODQVAE vbicunquè cõtinget per Viarum directionem,& domorum demolitionem, tàm priuatarum perſonarum,ꝗ Eccleſiaſticarum, ſeù Collegiorum, aut Vniuerſitatum,ſolum,ſeù prius publicum, ſeù tunc primum per dictam demolitionem publici Iuris factum,ac vicinis ſeù aliis perſonis vendendum,aut inſolutum pro domibus dirutis, ſeù aliàs quomõlibet concedendũ eſſe,ipſi Magiſtri,ſolùm loca quæcunquè ſic concedenda,illi,vel illis,cui vel quibus,eis pro maiori publica vtilitate videbitur,& pro pretio per eos arbitrando, omni & quacunquè appellatione remota,concedere & tradere, ac cui vel quibus tradendum,& concedendum eſſe cenſuerint, de ibi-

dem

dem ædificando liberam licentiam cōcedere poſſint & valeant; ità tamen q̧ in pari cauſa melior ſit conditio vicinorum. ET QVOD ſuper præmiſſis & quolibet præmiſſorum, per Dilectos Filios, qui ſunt ad præſens, & qui erunt pro tempore Præſidētes & Clericos, aut alios Iudices, eorumuè inhibitiones, aut præcepta impediri nullo modo poſſint, ipſique Præſidentes & Clerici in pręmiſſis, ſeù aliis quibuslibet cauſis & negociis, ipſorum Magiſtrorum Officium concernentibus, præterquam in taxis, (vnà cū ipſis Magiſtris) Gettitorū nuncupatis, per ſingulares perſonas perſoluendis, intromittere ſe nequeant vllo modo, ſalua duntaxàt in præmiſſis, & circà ea, Dilecti Filii noſtri, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Camerarii Auctoritate, iuxtà Facultates ſuas ſibi competentes. VOLVMVS nihilominus q̧ in cauſis Clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum, ac Piorum locorum, ſi petitum fuerit, in deciſione ipſarum cauſarum tantùm, Dilectus Filius Vicarius noſtræ Vrbis in Spiritualibus Generalis, ſeù eius Locumtenens, iuxtà eiuſdem Alexandri Prædeceſſoris diſpoſitionē interuenire omninò poſſit, & valeat; Et q̧ præſentes de ſubreptione, & obreptione, intentionis nr̄æ defectu, aut aliàs de nullitate & in validitate notari, vel quomodolibet impugnari nequeant, ſed per quoſcunquè inuiolabiliter obſeruari debeant, earūdemquè præſentium ſola Signatura, & abſquè data, vel Regiſtratione, Regula contraria nō obſtañ. in Iudicio, & extrà ſufficiat, & eis derogari per quæcunquè Reſcripta non poſſit, niſi iis præſentibus de verbo ad verbum præinſertis; & ſi aliter fieri contingat, iidem Magiſtri, Reſcriptis & derogationibus huiuſmodi poſt habitis, iuxtà præſentium tenorem, impunè, & liberè procedere poſſint; ſicquè, & nō aliter, in omnibus & ſingulis præmiſſis per Dilectum Filium S. R. E. Camerarium, & quoſcunquè alios Iudices, Etiam Cardinales; in quacunquè inſtantia, ſublata &c. Iudicari debere: Irritumquè &c. decernimus; Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, etiam in fauorem vicinorum ædiſis, Statutiſquè, & conſuetudinibus, etiam Iuramēto &c. roboratis, cęteriſquè contrariis quibuſcunquè præmiſſorum aliorumquè hic forsàn latius exprimendorum tenores, pro ſufficienter expreſis, habentes.

Quintus. ſ.

Sextus. ſ.

Placet Motu Proprio. A.

In fauorem Dñorum domorũ Inquilinorũ, & Subinquilinorũ, de nẽ augẽda penſione reſpectu Anni Sancti, ac de eos non expellendo, durante locatione &c. Similiter eidem Magiſtratui, aliiſquè Iudicibus conceſſum.

GVI. ASC. SFOR. S. EVSTACHII DIAC. CARD. de Sancta Flora. S. R. E. Camerarius.

NVPER Nobis in Camera Apoſt. non ſine animi noſtri diſplicẽtia, pro parte Inquilinorum, & ſubinquilinorum Vrbis q̃relantiũ expoſitũ fuit, ꝙ ipſi à Dominis Domorũ per eos ad penſionẽ annuã cõductarum, reſpectu anni Sancti, ſiue Iubilei, tàm ſuper augumento penſionis, fictos oblatores maiorem penſionẽ offerentes inducentibus, q̃ etiam ſuper earum euacuatione, ẽt locatione durante, aſſerentibus domos prędictas pro eorũ vſu habere velle, quotidiè moleſtantur, & ex domibus per eos conductis cõtrà formam Iuris expelluntur; Nihilominus expulſis Inquilinis, ſiue Subinquilinis, domos p̃dictas pro maiori precio in graue damnum Inquilinorum, ſiue ſubinquilinorũ cõtrà formam Decreti Cameralis, eorũ promiſsionis, obligationis,
Primus. §. & iuramenti, alteri locant. NOS, VT tenemur ex debito Noſtri Camerariatus Officii, tranquillitati Curialium Inquilinorũ, & Subinquilinorũ, malitiis, calumniis, litibus, cõtrouerſiis, quæ inter dominos domorũ ex vna, Inquilinos, & Subinquilinos partibus ex altera, quotidiè exindè oriuntur, quantùm poſſumus prouidere cupientes, nè Decretũ aliàs per anteceſſores noſtros, & Cameram Apoſt. in fauorem Inquilinorum factũ, in damnum, & præiudicium ipſorum retorqueatur, Idcircò de Mandato S. D. N. Papæ, viuę vocis oraculo nobis deſuper, ac ex Decreto in Camera Apoſtolica matura conſideratione facto, ſtatuimus, & ordinamus, ꝙ in futurum reſpectu Anni Sancti, vel Iubilei, quandocunquè huiuſmodi annus venerit, per annum antea, & pro dicto anno Sancto, vel Iubilei, Inquilinis penſio domus per eos conductæ à dominis ipſius augeri, nec modus ſoluendi penſionem alterari
Secundus. §. poſſit. INSVPER pro maiori Curialium, Inquilinorum, & Subinquilinorum quiete, & ad lites & controuerſias euitandas, vt pręfer.ur, oraculo & Decreto ſimilibus; Declarando Decretũ in fauorem Inquilinorum per anteceſſores noſtros, & per Cameram Apoſt. aliàs factum, in perpetuum ſtatuimus, & ordinamus, ꝙ ex nunc in poſterum, durante locatione Inquilini, tàm ipſe Inquilinus, q̃ Subinquilinus eiuſdem, ex domo ab eiſdem conducta, ſiue ſubconducta à domino ipſius, aſſerente domum ſuam pro

pro vſu ſuo habere velle, expelli non poſſit, niſi iuxtà formam Iuris Communis. FINITA verò locatione, quocunquè mo- Tertius .§.
do finiatur, ſi dominus pro ſuo vſu domum habere intendit, tūc vtroquè caſu Inquilinus expelli non poſſit, niſi prius dominus iurauerit, ac ſub pœna amiſſionis penſionis duorum annorum domus, de qua agetur, de non locando alteri domum prædictā, vel partem ipſius, ſed eam totam per ſeipſum per annum inhabitando, in ampliori forma Cameræ Apoſt. cum cenſuris, & mandatis exequutiuis ſe obligauerit. Et ſi dominus cōtrauenerit, ſtatim in pœnam prædictam incidat, quæ pœna, ſi non interuenerit accuſator, pro medietate Fiſco pro pœna periurii, pro alia verò Inquilino, vel Subinquilino reſpectiuè, in caſu ſuo applicāda ſit, ſed ſi in dictis caſibus interuenerit accuſator, tertia pars pœnæ prædictę vnicuiquè ipſorū applicetur. DECLARANTES Quartus .§.
ꝙ Subinquilinus finita locatione ſui auctoris, quocunquè modo finiatur, etiam de conſenſu Domini, & Inquilini, huiuſmodi Inquilinorum Priuilegio non gaudeat, ſed domino volenti teneatur eam liberam & expeditam relaxare, niſi ab ipſo domino reconductam habeat. Et ſi Notarius obligationem, promiſſionē per dominos domorum fiendam, contrà formam pręſentis noſtri, & Cameræ Apoſt. Decreti, rogare præſumpſerit, ad pœnam ſupradictam teneatur, & ſtatim docto ſummariè, per duos teſtes de contrauentione. Domini domorum, vel Notarii, tàm contrà eoſdem dominos, q̄ contrà Notarium, cenſuræ, ſiuæ mandatum exequutiuū tàm ad inſtañ. Fiſci q̄ Inquilini, Subinquilini, q̄ accuſatoris, parte citata per R. P. D. Pręſidentem Viarum, per Cameram Apoſtolicā m deputatum, & pro tempore deputandum relaxentur. INHIBENTES omnibus, & ſingulis Almæ Vr- Quintus .§.
bis Iudicibus, tàm Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, nè viſo præſenti noſtro, & Cameræ Apoſt. Decreto, ſub maioris excommunicationis, ſuſpenſionis à Diuinis, reſpectiuè, ac ſub aliis arbitrii noſtri, & ſucceſſorum noſtrorum pœnis, contrà illius formam iudicare, vel ſententiare audeant, ſiue præſumant, nec quilibet ipſorum, audeat ſiue præſumat; ſed omnia in pręſenti Decreto contenta, toties quoties opus fuerit, futuris temporibus, in perpetuum inuiolabiliter obſeruare, ac obſeruari facere teneātur, & debeāt, & quilibet ipſorū teneatur, & debeat; quocunquè alio Decreto in contrariū forsān deſuper facto, cæteriſquè incontrariū facientib. Non obſtañ. quibuſcunquè, ſi ſecus, &c. irritum, &c. ſublato &c. Et vt præfati Domini Iudices, Fiſcus, Notarii, Inquilini, & Subinquilini, accuſatores, & alii Curiales, de omnibus contentis in pręſenti

ſenti noſtro, & Cameræ Apoſt.Decreto,plenam notitiam habeant,Decretum huiuſmodi in Libris Cameræ Apoſt.regiſtrari,imprimi,in locis publicis ſolitis,& conſuetis affigi,ac publicè vendi, tranſumptoquè eiuſdem impreſſo, manu vnius ex Notariis Cameræ Apoſt.ſubſcripto, tàm in Iudicio,quàm extrà,indubitatam fidem adhiberi volumus,& mandamus. Dat. Romæ, in Camera Apoſt.Anno à Natiuitate Domini, M. D. XLIX. Indictione Septima,Die vero 29.Aprilis, Pont.Sanctiſs.in Chriſto Patris, & Dñi N. D. Pauli diuina prouidentia Papæ III. Anno XV.

A. Peregrinus.

Die 7.Maii 1549.ſupraſcriptæ Lřæ publicatę,& affixę fuerũt &c.

Io.de S. Cruce Curſor.
Hubertus Hollonius, Magiſter Curſorum.

MOTVS PROPRIVS IVLII, PAPAE III.

Super expurgatione Viarum Vrbis.

IVLIVS PAPA III.

MOTV Proprio &c. Cum inter alias, quas ad Summi Apoſtolatus apicem, Diuina fauente Clementia aſſumpti, bonas conſuetudines antiquas in deſuetudinem iuiſſe inuenimus, illa exiſtat,quod licèt antiquitus Rom. Pontifices prædeceſſores noſtri ſalubritatis aeris,& decoris Vrbis,curam gerentes introduxiſſent, vt ipſius Vrbis Viæ Publicę à luto & puluere, & aliis ipſarum Viarum immunditiis,purgatæ manutenerentur; & pro manutenenda expurgatione huiuſmodi vnus Carlenus ſingulis duobus menſibus,à ſingulis Tabernis,ſiue Apothecis opificum,& aliorum in Apothecis ipſis res venales habentium, exigerentur; eiuſquè exactionis cura, ad Magiſtros pro tempore Viarum Vrbis pertineret; Tamen à multis annis, licèt pecuniæ prædictæ exigerentur, in vſum expurgationis Viarum prædictarum non conuertebantur; & deindè proximè prçteritis annis,
Primus.§. etiam ipſarum pecuniarum exactio deſtituta fuit. NOS IGITVR conſiderantes quanta S. R. E. Cardinalibus, Prælatis, &

& aliis Curialibus, Vniuerſiſquè Ciuibus, incolis, & aduenis Vrbis, ex immunditia Viarum huiuſmodi, tàm hyemali, quàm æſtiuo tempore proueniant incommoda, & plerunquè etiam propter vapores & fetorem, aeris infectio, & peſtilentes corporum infirmitates. Volenteſquè omninò quantum in nobis eſt, ſalubritati aeris, commoditatiquè perſonarum, & decori Vrbis prædictę prouidere, vſumquè continuandę expurgationis huiuſmodi in ſtatum antiquum reſtituere, ſeù etiam ſi numquàm in vſu fuiſſe reperiatur introducere, & pro illius reſtitutæ, ſeù introductæ duratione prouidere, habita deſuper tàm cum Dilectis filiis Latino Iuuenali de Mannettis, & Dominico de Nigris, modernis Viarum ipſius Vrbis Magiſtris, quàm etiam cū diuerſis aliis ſimilium rerum peritis, matura conſideratione. MOTV ſimili &c. Statuimus & ordinamus quòd de cætero perpetuis futuris temporibus, ſinguli quiquè Apothecas, ſiue Tabernas, Banchum, ſeù domum rationis Mercatorum Rom. Cur. ſequentium, Fundacum, Magazenum, diuerſoria, hoſpitia, tabernas vinarias, eſtuaria, furnos, aut pro rebus venalibus, aut quacunquè arte, & opificio exercendo cuiuſcunquè generis, domum in ipſa Vrbe habētes, & quomodolibet tenentes, & quamcunquè artem quomodolibet exercentes, etiam ſi ſub Palatiis S. R. E. Cardinalium, & Eccleſiarum, Baronum, & aliorum quorumcunquè, quacunquè Dignitate, & poteſtate fungētium exiſterent, ſingulis tribus menſibus, ad vſum & effectum faciēdæ expurgationis prædictæ, vnū Iulium, & sic quattuor Iulios, quolibet Anno ſoluere omninò teneantur. Secundus. §.

ET VT pecuniæ sic exigendæ, in prædictum, & nō in alium vſum cōuertantur, Similiter volumus & ordinamus, ꝙ exactioni huiuſmodi, prædicti, et qui erūt pro tempore Viarum Magiſtri, ſint Præpoſiti, Curatores, & Superintendētes, ità tamen quòd ipſi Magiſtri, nullatenus pecuniis manus apponētes, teneātur deputare, ad eorum, & pro tempore exiſtētium Magiſtrorū nutum, & arbitrium, amouibiles Officiales, miniſtros, & exequutores, v3: ſi, & prout, eis melius viſum fuerit; Vnum, qui habeat curam exigēdi pecunias præfatas, Alterum verò, qui ſit illarum exigēdarum & exactarum Depoſitarius, fide, & facultatibus idoneum, & alium qui ſit Præpoſitus exequutioni, & negocio faciēdę expurgationis, aſſiduè vias & loca vrbis inſpiciendo, & Carrateriis, aliiſquè dictæ expurgationis Operariis, & Miniſtris aſſiſtēdo, illoſquè ſollicitando, & vndecunquè opus fuerit immūditias prædictas aſportari faciendo, fimum, & immunditias ſtabulorū, Tertius. §.

ruinas

ruinas murorum,terras ex ædificiorum fundamentis, & cellis vinariis,effoſſiones, & alias immunditias qualcunquè, ex priuatis Palatiis,& domibus prouenientes,in iis nullatenus cõpræhendẽdo. Quos Officiales,Miniſtros,& Exequutores, ipſi Magiſtri pro eorum arbitrio,& cum competenti ſalario per eos ſtatuendo,deputare,& eligere poſſint,& valeãt; recepto tamẽ ab vnoquoquè eorum,iuramento de fideliter exercendo officium eis demandatum,& quò ad ipſos exactorem,& depoſitarium, vltrà iuramentum, recepta etiam idonea cautione de etiam fideliter tenendo, & in fine cuiuſlibet Anni, ſeù in fine officii (ſi antè finem Anni Officium eorum finiretur)computa pecuniarum præfatarum in Camera Apoſtolica,illius Præſidentibus, & Clericis, vt moris eſt reddendo, & reliqua reſtituendo.

Quartus .§. PERSONAE autem Carrecteriorum, & aliorum quorumcunquè ad faciendum expurgationem præfatam neceſſariorum,ſimiliterquè æqui, muli, aut alia iumenta, nec non currus, ſeù Carrectæ, & alia quæcunquè inſtrumenta ad effectum expurgationis præfatæ,pro tempore neceſſaria,per ipſos Magiſtros prout eiſdem melius viſum fuerit,prouideantur,& deputentur; eiſquè ſalaria,& mercedes, eorumdem Magiſtrorum arbitrio,conſtituantur. Quę quidem ſalaria tàm ipſis Officialibus,& Miniſtris prædictis,quàm Carrecteriis, & aliis perſonis deputandis huiuſmodi; per dictum Depoſitariũ ſolui debeant;Receptis tamẽ deſuper Mãdatis, per ambos ipſos Magiſtros,& Clericum Camerę præfatæ,pro tempore deputatũ, ſubſcriptis,& non aliter,aliàs,nec alio modo.

Quintus.§. ET NE' in exactione præfata, confuſio,aut deceptio fieri poſſit,Volumus quòd dictus exactor teneatur in ſuo Libro ſeparatim deſcribere Regiones,Contradas,& Vias, & deindè ſeriatim ac per ordinem,ſecundum vnamquamquè viam,prout vna, alteri contiguæ fuerint,Apothecas,ſiue Tabernas Fundacos,Magazena,diuerſoria, hoſpitia,tabernasvinarias, eſtuaria,furnos, & alias quaſcunquè domos,ex quibus exiget, diſtribuendo etiam Nomen vniuſcuiuſquè patroni,ſiue maioris Apothecæ,Tabernæ,Fundaci,Magazeni,diuerſorii, hoſpitii, tabernævinariæ, eſtuarii, furni, vel domus, à quo exiget,& artem ſiue exercitium quam vel quod,ille exerceat,ſub pœna per ipſos Magiſtros imponenda,ſi,& quoties hunc ordinem non ſeruauerit. Et nè contingat dictum exactorem vltrà ſingulorum trimeſtrium tempus, in exigendis ſingulis Iuliis prædictis,diſtrahi,& propterea expurgationis opus impediri aut retardari, Volumus, quòd quandocunquè dictus exactor

Iulium

Iulium ipſum ab vnoquoquè petierit, ſi non fuerit perſolutus, liceat ei propria auctoritate, & abſquè aliqua citatione, & manu Regia, ab vnoquoquè recuſante, ſeù differente ſoluere, conueniens pignus capere, & illud ſucceſsiuè, vt moris eſt, per ſubhaſtationem vendere, ſub pœna, arbitrio ipſorum Magiſtrorum imponenda, Illis, qui exactori volenti (vt præfertur) pignus capere, reſiſtentiã facere, ſeù illum impedire conabuntur. MANDAMVSQVE' propterea Latino, & Dominico pręfatis, & pro tempore exiſtentibus Magiſtris Viarum huiuſmodi, ac Dilectis Filiis Guid. Aſc. S. Euſtachii Diaco. Cardinali noſtro, & S. R. E. Camerario, & Clericis præfatæ Cameræ Præſidentibus, pro tempore exiſtentibus, vt Statutum & ordinationem, ac deputationem noſtram huiuſmodi firmiter obſeruent, & exequãtur, ac ab aliis obſeruari, & exequi faciant: Ipſiquè Guid. Aſc. Cardinalis & Camerarius, ac Clerici Præſidentes, & pro tempore, vt præfertur exiſtentes, eiſdem Magiſtris in præmiſſis faueant, & aſſiſtant: Non permittentes eos deſuper per aliquos quomodolibet impediri, vel moleſtari. Contradictores quoslibet, & rebelles, ac ſibi in præmiſſis non parentes, per Sententias, cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias eorum arbitrio moderandas, etiam more Camerali compeſcendo; Inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio bracchii ſecularis. NON OBSTAN. præmiſſis, ac Conſtitu. & ordina. Apoſt. Statutis &c. Priuilegiis quoquè, Indultis, & Literis Apoſtolicis, ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & Decretis, quomodolibet conceſſis &c. Quibus omnibus, etiam ſi de eis &c. Illorum tenores &c. hac vice duntaxàt, ſpecialiter, & expreſſè derogamus; Cæteriſquè contrariis quibuſcunquè. Præſentium etiam abſquè eo quòd regiſtrentur, aut illis data aponatur, ſolam Signaturam ſufficere, & vbiquè in Iudicio, & extrà, fidem facere, decerneñ. vel ſi videbitur, Liræ deſuper etiã per Breue noſtrum expediri poſſint.

Sextus §.

Septimus §.

Placet, & ità Motu Proprio mandamus. I.

Regiſtrata in Camera Apoſtolica in Lib. ij. Diuerſorũ Iulii Papæ Tertii fol. 173.

Hier. de Tarano.

BVLLA ALEXANDRI PAPAE VI.

Super ædificiis in Via Alexandrina conſtruendis.&c.

Hæc Bul. eſt illa, de qua mentio fit à Leo Papa X. in altera ſua, De Facul. teſtan. & ædifican.in.§. 13. & 15. Quæ poſtpoſita ē, cū debebat cū aliis Lit. Alex. collocari,vʒ. antè Bull. Iul.II. in liter.Ii.

Alexander Eps ſeruus ſeruorū Dei, Ad Perpetuā Rei Memoriā.

ETSI vniuerſis Ro. Eccleſiæ Dominio tempora li ſubiectis Ciuitatibus pro earum ſtatu proſpero & incrementis fœlicibus, Apoſtolica, Nos deceat prouiſione cōſulere, Almæ tamen Vrbi nrę Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Martyrio conſecratæ, quæ ipſius Petri Sedes ſacerdotii Principatus, & Chriſtianæ Religionis caput exiſtit, eo nos conuenit ampliori cura proſpicere, quò ipſam Sacerdotalem Ciuitatem cūctis a'iis prælatam, nobis quòd peculiarem filiam, quadā præcipua, & ſingulari dilect one, in viſceribus geſimus charitatis.

Primus.§.

SANE' CVM ſuperiori Anno, ex deliberatione & commiſſione noſtra, pro Incolarum dictæ Vrbis, ac Curialium, in ea commorantium, & Peregrinorum, ad illum pro tempore, & præſertim hoc Sacro Anno Iubilei Centeſimo, confluentium, commoditate, ipſiuſquè Vrbis decore, via Recta Alexandrina nuncupata, à Porta Caſtri Sancti Angeli vſquè ad Plateam Sancti Petri, de dicta Vrbe fieri cepta fuiſſet, ac circà illam domos, & ędificia ab vtraquè parte pro maiori dictæ viæ ornamento attolli, & ædificari deſideraremus. Nos venerabilibus Fratribus noſtris Petro Archiepiſcopo Regineñ. dictæ Vrbis Gubernatori, & Vicecamerario, ac Hieremiæ Epiſcopo Aſſiſinateñ. in dicta Vrbe commorantibus, dedimus in mandatis, vt omnes, & ſingulos proprietarios, Vſufructuarios, Locatarios, Colonos, Inquilinos, & poſſeſſores domorum, fundorum, & locorum dictæ Viæ ab vtraquè parte adhærentium ad ædificandum ac ædificia ſecus dictam viam, iuxtà altitudinem, & menſuram ſuper hoc ordinatam extollendum, ſiue ad concordandum cum aliis in dicta Via ædificare volentibus, Illos, locando vel totaliter alienando monerent, atquè compellerent.

Secundus.§.

ET QVIA ſicut accepimus licèt præfatus Gubernator & Vicecamerarius, abſente dicto Epiſcopo, ſolus, de ſpeciali Mandato ſibi ſuper hoc viuæ vocis oraculo, per nos facto, illos, etiam ſub priuationis Iuris, quòd in fiendis domibus, & locis, dictæ Vię adhærentibus, vt domos in ea ædificarent ædificia attollerent (vt pręfertur) concordarent, vt infrà certum per

eum præfixum terminum, per publicum edictum monuerit, & requiſiuerit,tamen hactenus non curant parere,nequè curant in contemptum mandatorum noſtrorum,& dictę viæ, quæ remanet imperfecta, deformitatem. NOS VOLENTES vt Via ipſa omninò compleatur, ac præmiſſa ad debitum deducantur effectum, habita ſuper iis cum venerabilibus Fratribus noſtris S. Ro. Eccl. Card.deliberatione matura, venerabiles Fratres noſtros Franciſcum Vulteranum,Hieronymum Andreñ.Andream Crotonieñ,& Sinulphum Cluſinum,Epiſcopos,ac dilectos Filios Capitulum, & Canonicos Baſilicę Principis eorundem Apoſtolorum,ac præceptorem,& Conuētum noſtri S. Spiritus in Saxia, Ordinis Sancti Auguſtini,Confratres Confraternitatis Sancti Angeli in Burgo, de dicta Vrbe Hoſpitalium, Iohannem de Venetiis,Petrum de Solis,Philippum Aromatarium,Thomam Seruiētem armorum, Dominicum de la Porta, Priorem & Fratres domus Beatæ Mariæ Tsanſpontinæ,Ordinis eiuſdem Beatæ Marię de Monte Carmeli,Franciſcum,& Iacobum,& Lucidum de Sinibaldis, necnon hæredes quondam Thomæ Mataracii, & Sabbæ de Porcariis,& quemlibet eorum,de Fratrum Prædictorum conſilio,tenore præſentium requirimus,& monemus, vt infrà terminum xv.dierum,à die intimationis earundem pręſentium eis faciendę computandis,quorum quinquè pro prima, & alios quinquè pro ſecunda,ac reliquos quinquè dies pro tertia, vltima, & peremptoria dilatione,eis aſsignamus,ſub priuationis, & confiſcationis,Camerę Apoſtolicæ,omnis Iuris directi vel vtilis dominii,ſiue vſus,aut vſusfructus,quod in domibus, fundis, vel locis prædictis eis competit,pœna quam eo ipſo ſi contrafecerint, ſine vlla prorſus remiſsione incurriſſe noſcantur,vt in fundis, & locis prædictis ædificare,ac domos,& ædificia in dicta via conſtruere, & extollere debeant cum effectu;vel ſaltem ſecus viam prædictā vſquè ad debitam menſuram per nos ordinatam, videlicet ad altitudinem Cannarum ſeptem,infrà duos menſes, dictos xv. dies immediatè ſequeñ.extuliſſe,& compleuiſſe,vel cum aliis ędificare volentibus illa locando,vendendo, & alienando, aut ad longum tempus,vel imperpetuum,prout melius poterunt,concordare: Alioquin ſi non concordauerint, vel non paruerint cum effectu,omnia,& ſingula Capitula,Conuentus,Eccleſias,Hoſpitalia,Confraternitates,vniuerſitates,& ſingulares perſonas huiuſmodi,ac quemlibet eorum qui huiuſmodi monitioni, ac mandatis,& declarationi præfati Gubernatoris,ac venerabilis Fratris

Tertius ℣.

H ii noſtri

noſtri Iohannis Epiſcopi Raguſini; quos coniunctim Iudices in præmiſsis conſtituimus, & deputamus ſuper iis facienda non paruerint, omni dominio recto, & vtili, ac Iure quòd Eccleſiis, Hoſpitalibus, Capitulis, Conuentibus, Collegiis, Vniuerſitatibus, Confraternitatibus, & ſingularibus perſonis prædictis, & cuilibet eorum, in domibus, fundis, & locis ipſis, vel ad illa quomodolibet competebat, ex nũc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, abſquè alia monitione, vel Citatione, quauis appellatione remota, de ſimili conſilio omninò priuatos, & priuata, ac domos, fundos, & loca prædicta Cameræ prædictę applicata, & confiſcata eſſe denunciamus, & declaramus, eiſdem non parentibus

Quartus. §. omni ſpe reſtitutionis pœnitus adempta, & ſublata. PRAEFATIS Archiepiſcopis, & dilectis Filiis Magiſtris Stratarum dictæ Vrbis nunc, & pro tempore exiſtentibus, Mandantes, vt elapſis quindecim diebus prædictis, niſi illi ad quos ſpectat, fundos, domos, & loca huiuſmodi, ædificari ſaltem in eleuando frontiſpitio murorum dictam menſuram reſpicientium, facere ceperint, vel lapſis dictis duobus menſibus ædificata, & completa non fuerint (vt præfertur) tũc nomine dictæ Cameræ, aliis (quibus videbitur) qui inibi ædificent abſquè vlteriori mora, in perpetuum, vel ad tempus vendant, ſeù locent, & concedant: preciumquè exindè proueniens dilecto Filio Generali Depoſitario noſtro incomputis dictæ Cameræ ponendum conſignent, & illos quibus ſic vendiderint, locauerint, vel conceſſerint, ſuper locis, & fundis huiuſmodi, vel ædificiis per eos inibi conſtruendis, à nemine in futurũ moleſtari, turbari, vel impediri poſſe, quibus per dilectos Filios Præſidentes & Clericos Cameræ prȩfatæ illius nomine ſufficienter etiam de euictione, in meliori, & validiori iuris forma caueri volumus, decernant, nec quouiſmodo prætermittant; ac omnia alia, & ſingula faciant, & exequãtur quȩ in prȩmiſsis, & circà ea, etiam pro ſecuritate illorum quorum intererit, neceſſaria fuerint quomodolibet, & opportuna, prout nos harum ſerie, de ſimili conſilio etiam de euictione huiuſmodi cauemus, & decerni

Quintus. §. mus. SVPER quibus omnibus & ſingulis eiſdem Archiepiſcopis, & Stratarum Magiſtris, necnon Capitulis, Collegiis, Conuentibus, Confraternitatibus, Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum Rectoribus, Gubernatoribus, & perſonis quibuſcunquè Eccleſiaſticis, Secularibus, & Regularibus, etiam ad hoc vt fundos, domos, & loca huiuſmodi in emphiteoſim perpetuam vel ad tempus, ſiue liuellum, quibuſuis perſonis etiam laycis, quibus

quibus, ac ſub eo annuo cenſu, vel Canone, de quo eis videbi tur locare, & concedere, ac imperpetuum, vel ad tempus, etiam longum, & pro precio de quo concordare poterunt per eos in emptionem aliorum bonorum immobilium, vel alias neceſſitates eorum conuertendo, aut pro aliis bonis immobilibus permu tare, liberè & licitè poſſint; plenam, liberam, & onimmodam ha rum ſerie licentiam concedimus, pariter & Facultatem. ET VT perſonæ liberè in dicta Via ędificare valeant, de ſimili conſilio, ac ex certa noſtra ſcientia, & de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine ſtatuimus, decernimus, & ordinamus, vt de domibus in dicta via ædificandis, & emendis, aliàs in omnibus, & per omnia, iuxtà tenorem Literarum Sixti Papæ IIII. prædeceſſoris noſtri, ac etiam noſtrarum, in fauorem domos in Vrbe ædificantium, & ementium editarum, quarum tenores, ac ſi de verbo ad verbum præſentibus infererentur haberi volumus pro ſufficienter expreſsis, & inſertis, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis priuilegiis, indultis, diſpenſationibus, conceſſionibus, & clauſulis, potiori pro cautela innouamus, & ad domos ędificandas huiuſmodi, ac perſonas illas ędificantes, & ementes extendimus, liberè diſponere poſſint, dictæquè domus, & perſonæ ſub eiſdem Literis, etiam quò ad Priuilegia, Indulta, Diſpenſationes, & conceſſiones huiuſ modi, ac omnia & ſingula alia in illis contenta, ſint, & eſſe cenſeā tur. DECERNENTES irritum, & inane, ſi ſecus ſuper iis à quoquàm quauis aucte, ſcienter, vel ignoranter contigerit attēptari. Non obſtañ. pmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, legibus quoquè Imperialibus, Statutis, & conſuetudinibus dictæ Vrbis municipalibus, ac Eccleſiarum, Monaſteriorum, ſiue Regularium locorum, quorum fundi, domus, & loca huiuſmodi locari, concedi, permutari, ſiue vendi, vel alienari cōtigerit, Iuramento, Confirmatioñ. Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, necnon omnibus illis, quæ nos in nris, & præfatus Sixtus prędeceſſor in ſuis Literis prædictis, volumus nō obſtare, Cęteriſquè contrariis quibuſcunquè. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nrę requiſitionis, monitionis, aſſignatioñ. conſtitutioñ. deputatioñ. denunciatioñ. declaratioñ. mādati, Cautionis, Decreti, Conceſſionis, Statuti, ordinatioñ. voluntatis, innouationis, extenſionis, infringere &c. Siquis &c. Datum Romæ, Apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo, Pontificatus noſtri Anno Octauo.

Sextus. §. Septimus. §.

N . . . .

N . . . .

PIAS Facultates Sanctiſs. Dñi Nri Dñi Pij Papæ Quarti, eidem Magiſtratui (vt ſperatur) concedendas, ſi quæ tradantur (forsàn cum Annotationibus) in lucem emittam.

LAVS DEO.

ERRATA PRINCIPALIORA, SIC corrigenda, & leuiora omiſſa.

In litera	G	linea	25	conſideratioue; pro, conſideratione.
	I	lin.	19	conſtruitur; conſtrui ſperatur.
	P		3	illa; illæ.
	Q		4	poſsint; poſsit, & lin. 26. cõtribuerem; cõtribuere
	S		10	Submagiſtgis; Submagiſtris.
	X		11	diſtract.oucm; diſtrictionem.
	Y		9	in titulo, ibi, actenus; pro hactenus.
	Z		9	bancborum; banchorum.
	Aa		29	Romanus; Romanos.
	Pp		3	Et forſan; Et ſi forſan.
	Qq		23	dominus; dominis.
	Ss		30	inuiolabititer; inuiolabiliter.

REGISTRVM.

Præter Principii Quadernum.

A. B. C. D. E. F. G. H.

Omnes ſunt Quaderni.

ROMAE,
AN. DN. M. D. LXV.



MENSE IANVARII.